21048/B/1

55350.

J. J.

D. PHILIPPI JACOBI DÜTTELII,

Diverſorum S. R. Imperii Statuum,
Medici & Reipublicæ Memmingen-
ſis Phyſici Ord.

TRACTATIO
MEDICO-PRACTICA,
DE
VIRULENTA PURGANTIUM INDOLE,

Quâ cautiſſimus eorum uſus &
perverſus abuſus, ſelectis obſervatio-
nibus & ſolidis ratiociniis,
Methodo
Celeberrimi
D. FRIDERICI HOFFMANNI,
Demonſtratur:
Laxantium verò prudens adminiſtratio, in
omni morborum genere egregiè
commendatur.

Auguſtæ Vindelicorum,
Apud DAVID RAYMUND MERTZ,
& JO. JACOB MAYER, 1722.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



Iac. Andr. Fridrich Sc. Aug. Vind.

S. R. I.

LIBERÆ REIPUBLICÆ

MEMMINGENSIS

CONSULIBUS,

PRÆTORI,

SECRETIORIBUS,

SYNDICIS, CÆTERISQUE

SENATORIBUS,

VIRIS

MAGNIFICIS, GENEROSIS, MAXIME STRENUIS, NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS AC PRUDENTISSIMIS DOMINIS, PATRONIS ATQUE FAUTORIBUS SUIS

COLENDISSIMIS

DEI Gratiam, Integritatem Animi & Corporis, felicitatem perennem.

MAGNIFICI ATQUE NOBILISSIMI

VIRI

PATRONI COLENDISSIMI!

DOctrinam de vitæ termino eſſe perquam intricatam & perplexam, is facile concedet, qui cum veterum, tum recentiorum quorundam de hac placita perſpecta probeque cognita habet. Stoici fatalem vitæ terminum eſſe ſtatuerunt, ita ut ex abſoluto & ſimplici quaſi decreto ſit fixus & immutabilis.

Dixe-

Dixerunt hinc, ſi fatum tibi eſt, ex hoc morbo non convaleſcere, ſeu Medicum adhibueris, ſeu non adhibueris, non convaleſces, ut videre eſt ex Cic. tom. IV. libr. de fato pag. 418. edit. colon. Huic ſententiæ ſubſcribunt Arabes & Perſæ, quorum proverbium eſt, tametſi ingrediaris in os draconis, haud devoraverit te, niſi die fati; nec non Turcæ, qui ideo nulla pericula vel belli, vel peſtis metuunt, & ſibi hinc perſuadent, medicinæ operam non eſſe neceſſariam. Nec multum ab hac ſententia abludunt Aſtrologi, qui influxus ſiderum in ſublunaria neceſſitate quadam abſoluta agere ſtatuunt, unde ex ſtellis prædicere ſuſtinent, quonam morbi mortisque genere,

& quo anno, menſe ac die hic vel ille homo ſit finiturus vitam. Huc etiam pertinent Chiromantæ, qui ex lineamentis manuum genus ac fatalem horam oſtendere conantur. Vulgaris etiam notus eſt loquendi modus, quo de eo, qui vel gladio confoſſus, vel ligno ſuſpenſus, vel aquis demerſus, vel alio violento mortis genere ſublatus fuit, dicere conſueverunt homines: ita mortem fata tulerunt, ſein Ende iſt ihm ſo beſchert geweſen. Quanta autem in errorum præcipitia ſe conjiciant hæc inconſideratæ mentis mancipia, optimè pervidet is, qui experientiam reſpicit, fontes ſacros inquirit, & ex ſaniori corporis humani Philoſophia de natura vitæ ac mortis peni-

tiorem

tiorem acquiſivit notitiam. Equidem omnibus hominibus mortem eſſe communem, extra controverſiam eſt. Comprobant id cœmeteria ceu publica mortuorum diverſoria. Præterea ex ſacris etiam literarum divinarum effatis illud ipſum conſtat. Audiamus *Hiobum*, qui *cap. XXX. v. 23. hæc verba profert: Scio, quia morti trades me, ubi conſtituta eſt domus omni viventi.* Per viventem hoc loco intelligit hominem ſtylo Scripturæ ſacræ. Pulcherrimè deſcribit ſepulchrum per vocem מֻוֹעֵר, quod indicat locum conſtitutum, ad quem congregatio hominum certo quaſi fœdere aut pacto fit, quo vult innuere, quod ſepulchra ſint domus congregationis, ubi velut ex pacto morta-

litatis omnes tandem conveniant homines. Pluribus hæc veritas confirmatur ex Joſ. XXIII. v. 14. I. Reg. II. v. 2. II. Sam. XIV. v. 14. Pſalm. LXXXIX. Sir. XL. v. 5. Rom. V. v. 12. Quia imò ipſa machinæ noſtræ corporeæ indoles, natura & ſtructura de inevitabili hac moriendi neceſſitate loquitur. Vita noſtra dependet ex motu ſanguinis per cor, arterias & venas, quo rite conſtituto non modo per poros & emunctoria aperta exhalat atque excernitur id, quod corpori infenſum eſt, ſed etiam ex alimentis novarum virium ſuccus ſecernitur, atque loco effœti illius ſubinde apponitur, uno verbo: Omnium tam animalium, quàm vitalium & naturalium actionum perpetui-

tuitas ſecundatur ac partium ſolidarum viſcerumque tonus ac robur conſervatur. Simulac verò à cauſis variis, iisque gravioribus, quam ut naturæ artisque beneficio vinci poſſint, tam externè, quam internè accidentibus, ſanguinis hic ſiſtitur circulus, regimen vitæ labaſcit, & homo moritur. Adeo inevitabilis eſt hæc moriendi neceſſitas, ut etiam ii non ſint immunes ab eâ, qui ex optimo ſemine & robuſtiſſimis ſunt prognati parentibus, ſtructurâ inſuper corporis gaudent omni ex parte perfectiſſima, atque ad amuſſim obſervant ſalutares diætæ leges, ſiquidem diuturnitate annorum partes ſolidæ rigeſcunt, flacceſcunt, elaſticitatem amittunt, nec poris coar-

ctatis nutrimentum amplius admittunt, vaſa ſecretoria & excretoria tono deſtituuntur ſufficienti ad id muneris exequendum, quod ipſis à natura incumbit, ſanguis fit impurus, ſpiſſus, difficulter mobilis, imò ut ſummatim rem comprehendam, omnes partes & fluores à naturali temperie, conditione & conſtitutione paulatim deficiunt, & ad vitalem illum circulum regendum indies fiunt ineptiores. Hoc ſane in caſu nihil juvant tantoperè deprædicata arcana, irritus eſt omnis lapidis philoſophici aut auri potabilis *Buttleri* uſus. Valet hic illud Poëtæ, qui ita canit:

- - *Ju-*

- - - - - - Juvabit
Nec lapis, ætatem ſi pleno clauſerit ævo
Præfixa illa homini Supremò Numine meta.
Mors communis enim, nec declinabilis ulli.

Licet verò mors ex pœna divina humano generi ſit communis, non tamen hinc inferendum eſt, quaſi vitæ terminus a DEO ita ſit conſtitutus, ut is nec prolongari apta diæta & medicina, nec decurtari horum neglectu poſſit. Evictæ enim identidem veritatis aſſertio eſt, quod ille ipſe terminus pro diverſo rerum non naturalium uſu vel prolongari vel contrahi queat. Quod ſi enim rectè utimur rebus ad vitam

tam pertinentibus & morbos corpori imminentes prudenti ratione avertimus, diuturniori etiam frui poſſumus lucis uſura, ſin autem minus recte his in rebus nobis proſpicimus, etiam vitæ filum ante tempus abrumpitur. Regius Pſalmiſta terminum vitæ ponit in anno ſeptuageſimo vel octogeſimo, quem ſecundum ſtructuram & durationem corporis attingere poſſunt mortales, ultra quem etiam hodie raro quispiam aſſurgit. Quia vero homines nec eadem temperamenti naturæque bonitate gaudent, nec iisdem moribus vivunt, nec paribus vivendi mediis fruuntur, ſic alii terminum illum attingunt, alii eundem excedunt ac ſuperant, alii prius, quam attigêre, exſpirant,

rant, vel vitæ curſum longius producendum abrumpunt. Ex hiſce patet, terminum vitæ non eſſe abſolutum, ſed conditionatum, unde etiam DEUS in ſacro codice piis longam vitam promiſit. Ex omnibus *Paulum* allegare hoc loco allubeſcit, qui, *pietas*, inquit, *ad omnia utilis eſt, habetque promiſſionem vitæ præſentis ac futuræ.* Equidem homo ſinceræ pietati deditus, rebus, quibus ad vitam opus habet, non abutitur, contentus eſt paucis iisque parabilioribus cibis, ebrietatem ceu peſtem fugit, tranquillitatem mentis loco ſummi boni habet, Venerem averſatur promiſcuam, immodicam & illicitam, corpus laboribus exercet debito tempore, illudque viribus exſolutum quietis &

ſomni

ſomni decenti uſu refocillat & affectibus animi non facile tentatur, quo vitæ genere utique à plurimis corporis incommodis ſe præſervat, hocque pacto machinam reddit durabiliorem. Rogatus grandævus quidam, quo pacto ad extremam perveniſſet ætatem, reſpondit: frequens movebar, raró angebar, vix helluabar, parum rixabar, non libidinabar. En eximios diæteticæ vitæ fructus! contra vero, qui ſepoſitis ſanctioribus pietatis præceptis mundi mores conſectantur, hi nulla in re moderationem adhibent, ventriculum cibo & potu onerant, deſidiâ torpent, atque omnis generis voluptatibus ſe immergunt, & hac ratione corpus inſigniter enervant, hinc etiam

mi-

mirum videri haud debet, ſi iſtiusmodi hominum genus ante terminum naturalem diem obeat ſupremum. Apparet præterea, quantæ ad vitam prolongandam ſit medicina utilitatis, quippe quæ non modo ſalutaria ad vitam diutius ſanam conſervandam inſervientia edocet præcepta, ſed etiam ægritudines corpori exitium minantes, aptis & naturæ amicis medicamentis depellit & mortem imminentem avertit, ut adeo machina noſtra corporea per multos annos integra, ſalva ac incorrupta permaneat. Objicienti vero hic, per eandem medicinam ſæpiuſcule quoque funeſtos in corpore produci effectus & machinas hominum florentiſſimas

diu forte adhuc duraturas uno quaſi ictu exſcindi, cum quadam diſtinctione reſpondemus, ut veritas clarior eluceſcat. Quippe ſanctiſſima medicina ab omni noxa eſt immunis, inque Medicos potius culpa rejicienda, qui eam non recte adminiſtrant & medicamentis potentibus abutuntur. Verbis vix ſatis ediſſeri poteſt, quantæ hominum cædes ſolo purgantium abuſu committantur. Hoc itaque cùm viderem, non potui non, quin ſedulo in purgantium naturam ac indolem inquirerem, eorumque abuſum deteſtandum condemnarem, ut non ſolum Medicaſtrorum, tonſorum ac balneatorum turba inpoſterum diſcat ſapere, ne tam facilis ſit in purgantibus

exhi-

exhibendis, ſed etiam quivis ſanitatis ſuæ ſtudioſiſſimus ab ejusmodi temerariis vitæ oppugnatoribus ſibi optime cavere poſſit.

Libellum verò hunc, ut teſſeram obſervantiæ & fidei, quâ ratione officii medici & Phyſici ordinarii, teneor, VOBIS, PATRES Patriæ Prudentiſſimi, QUI curam hactenus Civium veſtrorum laudabiliter geſſiſtis, omni ſubmiſſione, dedico & offero, nullus dubitans, porrò VOS viriliter, Phyſicos ordinarios, contra inſultus pſeudomedicorum & empiricorum, defenſuros, & Leges ante aliquot annos, ad Civium & ſubditorum veſtrorum ſanitatem illæſam ſervandam, ſapienter

ſancitas, priſtino Valore, haud ceſſaturas eſſe in Civitate veſtrâ, vigere.

Suſcipite igitur PATRONI ATQUE FAUTORES, omni honoris cultu proſequendi, laborem hunc, ad Civium veſtrorum proximique utilitatem unicè ſuſceptum, ſerenâ fronte, Dignamini ipſum TUTELA VESTRA, & me porrò FAVORE VESTRO proſequi haud Gravamini. Ego intereà Summum Archiatrum, DEUM, Ter Optimum Maximum, humillimâ prece fatigare non ceſſabo, ut VOS, Patres Patriæ Digniſſimos, ad Neſtoris usque annos, Soſpites & Incolumes, con-

conſervare, inſuperque Regiminis perpetim felicis Gloria, Pacis nunquàm interruptæ uſu, ac exoptatæ omnis Proſperitatis gaudio, beare, dignetur. Ita Vovet & apprecatur,

MAGNIFICORUM NOBILISSIMORUMQUE, NOMINUM VESTRORUM

Dabam è Muſæo
Memmingæ d. 20. Mart.
M DCC XXII.

Cultor obſervantiſſimus

PHILIPPUS JACOBUS DÜTTELIUS.

PRÆFATIO
Ad
Lectorem Benevolum.

SAnitatem corporis humani eſſe finem primarium medicinæ, quem omnes medici, qui artem hanc ſalutarem profitentur atque exercent, pro viribus ubique intendere debeant, licet eundem non ſemper adſequantur, res tam clara, tam perſpicua & vera eſt, ut quæ à nemine rectius de officio medici judicante in dubium vocari poſſit: ſiquidem non aliud eſt officium medici, quam ut integram cenſervet hominum ſanitatem & ſi quando à variis cauſis tam externis quam internis offendiculum paſſa collabatur, eam ipſam prudenti ſuo conſilio & apto auxilio reſtauret. Hic verò finis ne-

nequaquam potuit à medico obtineri, niſi accuratam habeat ſcientiam earum rerum, quæ proſunt atque nocent calleatque probè methodum ea, quæ conducunt, tempeſtivè uſurpandi, ea verò, quæ obſunt, tanquam corpori inimica, ab uſu prudenter removendi. Quibus ritè obſervatis officio ſuo pleniſſimè ſatisfecit medicus, quamvis ob magnitudinem cauſæ corporis internecionem ſtruentis auxilium ſuum quandoque experiatur irritum. Qui verò neſciunt verum, inter ea, quæ proſunt & quæ obſunt, diſcrimen, ii certe titubanter agunt & æque facilè nocere poſſunt, ac juvare, ut adeo officio ſuo cum certitudine ſatisfacere nequaquam poſſint. Iſtiusmodi ſane genus medicorum caſu medetur, fortunæque omnia debet, quæ ex cæco eorum imperio in ægros, quandoque redundant commoda. Ex nonaginta novem verò ægris, qui eorum curæ ſe dederunt, vix centeſimus evadit ſalvus, niſi forte inciderint in medicamenta, quæ ſua natura parva gaudent facultate, atque adeo neque ad morbi incrementum, neque ad ejus decre-

mentum quicquam contribuunt, quo caſu utique ſæpiuscule proſunt, non verò ſuo, ſed naturæ beneficio, quam medicamento ejusmodi inſonti in ſuis motibus ad cauſam morbi tollendam neceſſariò directis non turbant, ut adeo propria vi & robore ſemetipſam à labe concepta liberare queat. Quod ſi jam hodiernum praxeos medicæ ſtatum penitiùs intueamur, proh dolor is corruptiſſimus ſeſe nobis ſiſtit, cujus miſeriei non aliam rationem reddere poſſumus, quam quod pauciſſimi inter medicos ſolliciti ſint, de exquiſita rerum, quæ nocent ac proſunt, cognitione. Jurarunt plerique in Doctorum ſuorum qualiacunque præcepta ac hinc inde corraſas & excerptas è practicorum voluminibus medicaminum formulas, quas adhibent, quarumque vires miris ad cœlum laudibus extollunt, licet re ipſa interdum damno magis ſint, quam juvamini & ſi non vitam cum morte, morbum tamen præſentem cum alio multo periculoſiori commutent. Non attendunt ad principia rebus inſita, quibus unaquæque materia ex tribus naturæ regnis deprompta neceſſariò agit,

quæ

quæ inſtituta variorum experimentorum à ſolidis medicis traditorum ratione erui facile atque cogniſci poſſent: neque advertunt ad effectus, à dato quodam pharmaco in corpore ægroto reſultantes, quos ſi obſervant violentos vel funeſtos, tantum abeſt, ut medicamento tribuant, quin potius eosdem fatali cuidam moriendi neceſſitati adſcribant, alias certe cum eodem medicamento, ex quo paulo ante tragicum eventum viderunt, in aliis ægrotis & ſimilibus plane caſibus cautius mercari diſcerent. Quantæ non ſtrages hominum priſco abhinc tempore ad hunc usque diem (ut aliorum absque judicio adhibitorum medicaminum hac vice mentionem ſilentio involvam) ſolo purgantium draſticorum uſu perverſo editæ ſunt? ſanè Practicorum ſolertiſſimorum libri clamant de ejusmodi erroribus & plurima funeſta exempla de lethifero purgantium uſu nobis communicant. Univerſa Practicorum ingenuorum cohors toto pectore cohorreſcat, neceſſe eſt, ſi videt, miſeros ægrotos ſub ſpe convaleſcentiæ redituræ ab ignaris medicaſtris draſticorum

purgantium commendatione tam immaniter cruciari & frequentius quoque impudentiſſimè trucidari. Cùm itaque & nos obſervaſſemus quantus abuſus circa purgantium adminiſtrationem committeretur, & quanta noxa inde hominibus accideret, eam maximè ob cauſam commoti ſumus, præſentem hunc Tractatum luci publicæ exponere, in quo purgantium draſticorum uſum adeo familiariſſimum maximè reprobabimus eisque nonniſi in certis caſibus ſumma cum cautione adhibitis locum concedemus. Et quia laxantium uſus à multis medicis fere negligitur, hinc eorum utilitatem aptis ubique rationibus ſtabiliemus.

Totam verò hanc noſtram tractationem in VI. Capita diviſimus. Cap. I. generatim oſtenditur, tam experimentis, quam obſervationibus & rationibus idoneis, quod purgantia in ſe contineant principium Veneno valde analogum. Cap. II. ſpecialius demonſtramus, quod in pleriſque morbis tam acutis, quam chronicis periculoſum, imo quandoque funeſtum effectum edant. Cap. III. tradimus eorum noxam

xam in morbis præſervandis & ſanitate ac vita conſervanda. Cap. IV. exhibemus iis aliquem locum, quando raro, caute & ubi ſummæ in certis morbis indicationes id poſtulant, in uſum vocentur. Cap. V. extollimus præ purgantibus leniorum laxantium inſignem utilitatem cum cautelis hinc inde interſperſis & cumprimis perluſtramus laxativa ex regno vegetabili atque animali deſumta. Cap. VI. agimus de laxantibus ex regno minerali petitis, ubi iterum neceſſariæ cautelæ hinc inde additæ ſunt. Et hiſce abſolvuntur, quæ lectori benevolo in præſenti opuſculo ſiſtere voluimus.

Nulli dubitamus vero fore, quin hæc qualiscunque noſtra tractatio à Medicis ſincerioribus benignè accipiatur, quoniam in hoc opuſculo concinnando pleniſſimè ſecuti ſumus celeberrimi hujus ævi Medici Frid. Hoffmanni, Conſiliarii & Archiatri Boruſſici, Profeſſoris in illuſtri Fridericiana Primarii, veſtigia, quem tanquam Præceptorem noſtrum ac Promotorem ad cineres usque veneramur atque colimus. Hujus enim dexteritati atque incomparabili

rabili eruditioni plurima debemus. Quapropter eidem quoque ob fideliſſimam informationem & manuductionem ad praxin clinicam publicas hic laudes cano, & perpetuas in pectore grates habeo. DEUS Medicum hunc verum nulli tam ſcientia, quam experientia medica ſecundum in ſalutem ægrotorum & commodum reipublicæ medicæ, per longas annorum ſeries ſanum ac incolumem conſervet.

Tra-

Tractationis medico-practicæ pharmacorum purgantium & laxantium

Caput I.

De Venenata purgantium indole.

§. I.

PHarmaca ſic dicta draſtica, quæ in parva doſi celeriter ac fortiter humores per alvum educunt cum ventris torminibus viriumque lapſu, indole gaudent maxime virulenta & nonniſi gradu a fortiſſimis venenis differunt.

Scholion.

In eo tantum intercedit differentia, quod venena ex vegetabili æque ac minerali regno deſumta, ut cicuta, napellus, mercu-

rius ſublimatus, arſenicum longe celerioris ſint operationis & in pauciſſima doſi enecent, cum contra purgantia paulo tardius operentur & nonniſi vi majori doſi funeſtum edant effectum.

§. II.

In draſticorum vero purgantium cenſum meritiſſimo jure referri debent poma colocynthidos, euphorbium, elaterium, omnes eſulæ ſpecies, helleborus albus & niger, ſcammonium, gummi guttæ, nicotiana, grana tilli, radix & reſina gialappæ, radix turpethi vegetabilis, & coccognidium.

§. III.

Omnes hæ recenſitæ purgantium ſpecies non ſecus ac venena ſal volatile ſubtile cauſticum motibus conſervatoriis corporis animalis adverſum in ſinu ſuo recondunt.

Scholion.

Etenim radix & reſina gialappæ, præter principium reſinoſum paulo fixioris naturæ cuſtodit ſal volatile tenuiſſimum cauſticum. Deinceps ſcammonium, eſula, gummi guttæ in gummeo ſulphure acerrimum ſal acre fovent. Helleborus albus & niger, tabacum,

tabacum, grana tilli coccognidium, mazereon, laureola, cyclamen itidem ſale volatili tenuiſſimo & ſubtiliſſimo acerrimo pollent. Denique poma colocynthidos pariter ſale volatili cauſtico inſigni amaritie juncto gaudent.

§. IV.

Ope ſalis hujus volatilis ſubtilis cauſtici purgantia hæc effectum edunt nocivum & ſæpe lethalem.

Scholion.

Quemadmodum enim venena cauſtica ſubtiliſſimo ſale acri in tunicas nerveomembranaceas ventriculi & inteſtinorum agunt univerſum genus nervoſum in conſenſum trahendo, qua ſua actione univerſam motuum vitalium œconomiam perturbant atque evertunt: ita illud ipſum a purgantibus in paulo majori doſi exhibitis eodem prorſus modo accidere non facile prudens & operationis medicamentorum mechanicæ gnarus medicus in dubium vocare poterit.

§. V.

Ut vero hæc noſtra adſertio majorem fidem mereatur, neceſſitas utique & tractandi ratio expoſcere videtur, ut,

quæ illam exactius demonſtrant, obſervationes & experimenta adferamus.

§. VI.

Quod purgantia ſumme volatilis ac tenuiſſimæ ſint indolis id demonſtratur primo ex earum adplicatione externa, quæ non ſine effectu purgatorio exiſtit.

Scholion.

Sic veteres medicos cum decocto hellebori, ut alvum obſtructam laxiorem reddant, pedes laviſſe ex eorum monumentis conſtat. Helleborum fonticulis pro mundificatione impoſitum per vomitum & alvum purgare teſtatur *Walæus* in *methodo medendi pag.* 124. per unguenta ex colocynthide compoſita & umbilico inuncta familiariſſimo nonnullorum experimento purgantur infantes ac pueri.

§. VII.

Deinceps ſubtilitatem & exiguitatem principii, quod in purgantibus reſidet activi, & odor gravis ac diffuſus diuque perſeverans & ex guſtu minimæ portionis nauſeoſus & moleſtus ſapor in lingua clariſſime evincit.

Scholion.

Scholion.

Unde nota mihi ſunt exempla, ubi ex ſolis particulis evaporabilibus acriorum purgantium odore ſuſceptis vel nudo eorum guſtu alvi laxitas & non paucæ ſedes fuerunt ſubſecutæ. Neque facile cuivis ignotum eſſe poterit illud experimentum, quod cum fumo tabaci inſtituitur; cujus tanta vis eſt, ut per clyſterem vel alium canalem accommodatum ano immiſſus feces promoveat & per os ſuctione ope inſtrumenti tabacophilorum communis hauſtus inconſuetis alvum apertam ſervet, in aliis vero, qui tabaci ſuctione prorſus non delectati fuerunt vomitiones enormes cum copioſiſſimis dejectionibus excitet.

§. VIII.

Decoctio purgantium itidem de eorum ſale tenuiſſimo ac ſubtiliſſimæ indolis activo teſtimonium exhibet egregium.

Scholion.

Hoc experimentum cum eſula, helleboro albo & nigro, colocynthide, ſcammonio, tabaco & hujus generis aliis purgantibus quotidie inſtitui poteſt. Quo enim diuturniori coctione hæc tractantur,

eo majorem virium ſuarum patiuntur jacturam, adeo ut prorſus effœta tandem reddantur. Ratio procul dubio hæc eſt: coctione hac largiori particulæ ſubtiles activæ in auras avolant & quod reliquum eſt ſalium, vel quoad texturam ſuam immutatur, vel aqueis particulis commixtum diluitur atque infringitur: hinc etiam nulla aqua purgans ex fortiſſimis draſticis ſpeciebus deſtillatione, quacunque demum ſolertia inſtituatur, elici unquam poterit.

§. IX.

Ex jam prolatis ſatis arbitror patere, quod purgantia indolis ſint ſubtiliſſimæ, tenuiſſimæ, nunc etiam videamus neceſſe eſt, quod illud ipſum ſal purgantium tenuiſſimum etiam ſit acerrimum & ſumme corroſivum.

§. X.

Sal purgantium ſummæ activitatis & corroſivæ eſſe indolis teſtatur inflammatoria ac irritatoria eorum vis, quam diverſimode in corpus exerunt.

§. XI.

Obſervatione conſtat, purgantia adſumta ſternutationem frequentem moviſſe.

Scholion.

Scholion.

Curioſas obſervationes de ſternutatione recenſet *Excell. Lentilius Part. I. pag.* 174. *Miſcell. medico - practicorum.* de Illuſtriſſimo Comite, qui, quotiescunque adſumſit Electuarium purgans, ſemper ultra viginti ſternutationibus vexatus fuit.

§. XII.

Patet quoque corroſivitas purgantium ex veſicis, quas in cute excitant, ſi membris corporis humani præſertim paralyticis in forma cataplasmatis vel alio modo adhibeantur.

Scholion.

Omnia enim, quæ ſale cauſtico acri pollent, veſicas in cute excitandi facultate gaudent. Sic ex regno animali omnia fere inſecta id præſtant, v. g. muſcæ varii generis, bufones, araneæ & præſertim cantharides, quæ ob abundantiam ſpiculorum ſalino - cauſticorum hac de cauſa inter emplaſtra veſicatoria recipiuntur. Ex purgantium claſſe cumprimis eſulæ ac euphorbii, quod nonniſi eſulæ mauritanicæ ſpecies eſt, ſuccus recens vel inſpiſſatus tam potenter corrodit & veſicas excitat, ut ejus ope experientia conſentiente verrucoſæ cutis ex-

creſcentiæ & clavi pedum, ſi cautiſſime adhibeatur, non ſine fructu abſumi queant. Notum mihi eſt exemplum, ubi ſuaſu balneatoris inertis virguncula quædam ad tollendas faciei maculas ex pulchritudinis affectatæ ſtudio eam ſucco eſulæ recenter collecto lavit, quo facto confeſtim tota cutis elevata & inflammata eſt non ſine dolore ſubſequente, quæ excoriatio faciei, cum a medico advocato decenti modo tractaretur, elegantiori cuticula reſtituta fuit, ut tunc demum anxie quæſitæ formoſitatis particeps redderetur virgo.

§. XIII.

Ulterius ſal cauſticum purgantium demonſtratur ex interno operationis modo & ſymptomatibus, quæ inducit.

§. XIV.

Exerunt vero draſtica purgantia non ſecus ac venena ſuam operationem hoc modo: quamprimum intra corpus adſumta fuerunt, ſubtiliſſima, qua inſtructa ſunt acredine, plicis ventriculi, qui maxime nervoſus eſt & eam ob cauſam cum univerſo ſyſtemate nervoſo conſenſum habet plane mirabilem, altius ſeſe inſinuant & hoſtili fibrarum nervearum irritatione atque eroſione

non

non modo in ventriculo & inteſtinis, ſed & in remotis partibus ſubtiliori ſenſu & motu exquiſitiori præditis ſpaſmos concitant, qui deinceps ſtaſes, infarctus, diſtenſiones, apertiones efficiendo cauſæ & fontes exiſtunt graviſſimorum ſymptomatum.

§. XV.

Symptomata, quæ a purgantibus majori doſi exhibitis corporibus humanis accidunt, ſunt tormina ventriculi & inteſtinorum atrocia, anxietates ferme intolerabiles, calor præternaturalis & ſitis inextinguibilis, pulſus inordinatior & celerior, ſedes copioſæ cum vomitione interdum junctæ enormi, in quibusdam ſanguinis profluvia, virium ſumma proſtratio, animi deliquia, extremorum rigor, motus convulſivi horrendi, quibus ſymptomatibus, ſi temporius non occurritur aptis remediis, mors in ſubjectis præſertim tenerioribus, debilioribus & qui inflammatoriis morbis detinentur, certiſſime ſuccedere ſolet, quemadmodum id ipſum triſtiſſimis exemplis quotidie in praxi empiricorum conſpicuis ſatis ſuperque confirmatur.

Scholion.

Ecquis hîc non videt ſumme viroſam purgantium activitatem, quæ tanta eſt, ut vix ab alia cauſa morbifica, quæcunque illa demum ſit, pejora poſſint excitari ſymptomata? Ecce tragœdias dolorum aliorumque malorum, quas imperiti medicaſtri in corporibus humanis impune ludunt? nonne rectius ſentiunt ii, qui cum *Helmontio & Bontekõe* iſtiusmodi purgantia vocant *inſtrumenta diaboli, quibus homines per ſuos fideliſſimos adminiſtratores neci violentæ tradit?*

§. XVI.

Porro purgantium virus ſalino-cauſticum probatur ex inſpectione cadaverum illorum hominum, qui a fortiori purgante interemti ſunt.

Scholion.

Quodſi cadavera a purgantibus demortuorum hominum aperiuntur, plerumque ventriculus ac inteſtina inflammata & maculis ſtriisque rubicundis hinc inde notata reperiuntur.

§. XVII.

Similes effectus quoque cernere licet in illis, qui veneno hauſto interierunt.

Scholion.

Scholion.

Aliquot abhinc annis Memmingæ puer lanionis cujusdam ſexennis ex improvido eſu rotularum cum arſenico præparatarum, quibus ad murum perniciem utuntur, convulſionibus miſere mortuus eſt, cujus corpore adaperto ventriculus inflammatus & rubra macula magnitudine oboli quaſi pulvere pyrio inuſta obſervata fuit.

§. XVIII.

Deinceps vim deleteriam purgantium adhuc magis confirmant experimenta, a curioſis medicis cum purgantibus fortioribus adornata, dum illa animalibus vivis & ſanis ad devorandum obtulerunt.

Scholion.

Sic Helvetiorum celeberrimus medicus *Wepferus in Tract. de cicuta aquatica* catellis reſinam gialappæ & helleb. album doſi mediocri propinavit, quorum uſum ex inſtanti ſequuti fuerunt vehementes vomitus, horrendi motus convulſivi & tandem mors. Sectione poſtea celebrata ventriculi ſubſtantia inflammata & inteſtina tenuiora maculis lividis ac rubicundis hinc inde referta fuere inventa.

§. XIX.

§. XIX.

Purgantium virus ſeſe præterea manifeſtat experimentis illis, quæ facta ſunt cum animalibus immittendo eorum venis purgans quoddam fortius externe, a quo, ſimulac illud ſeſe commiſcuit cum ſanguine, truculentis ſymptomatibus prægreſſis paulo poſt interierunt.

Scholion.

Curioſum eſt, quod refert Clariſſ. *Heyde*: ſolutionem gummi guttæ aqua pluviali factam in pauca doſi venæ canis infuſam motus convulſivos ipſamque necem ſtatim intuliſſe. Notatu quoque dignum eſt, quod memoriæ *Crato* prodidit *in Epiſt. med. Lib. II. p.* 272. *ſi lingua*, inquit, *hellebori albi ſuccus deguſtetur, nulli noxius eſt, ſanguini vero communicatus eſt exitioſus: nam ſi quis acu ſaltim eo ſucco infecta punctim lædatur & exiguum vulnus accipiat, paucis horis poſt extinguitur.*

§. XX.

Non parum quoque ad purgantium virus cauſticum demonſtrandum contribuit illa obſervatio, qua edocemur, ſimili ratione vera venena in minori doſi propinata effectum vomitorium & purgantem

gantem exerere haud ſecus ac purgantia convenienti nec exceſſiva doſi adhibita. Non aliam igitur differentiam videre licet, quam quod purgantia gradu tantum a venenis proprie ſic dictis diſtent.

Scholion.

Ipſum arſenicum, quod hodierno tempore ob ſaporem ſuum dulcem & aptam miſcelam cum cibis præſertim pultaceis ex farina frumenti vel ſemine milii paratis eſt communiſſimum hominum malitioſorum pharmacum, quo internecionem aliis parant, non alio modo operatur, ſi parciori doſi adſumatur, quam ut humores, nimium commovendo eos ἄνω καὶ κάτω eliminet, unde quidam ex eo parare ſolent antifebrile, quod in intermittentium, præſertim quartanæ contumacia expugnanda ad aliquot grana propinatum valde commendant & notus mihi quoque eſt balneator quidam, qui eo non ſine fructu aliquoties uſus fuit.

§. XXI.

Ultimo loco ad demonſtrandum, quod purgantium ſal cauſticum ejusdem ſit indolis ac venenorum, non mediocre

diocre momentum adfert ipſa cura ejusmodi ſubjectorum, quæ a purgantibus abſumtis ſpaſmis & doloribus intenſiſſimis vexantur.

Scholion.

Ut enim venenorum vis nociva optime infringitur per remedia mucilaginoſa, oleoſa, pinguia, emulſiones, lac animantium, in quantitate adſumta: ita auſpicatiſſimum non minus effectum a remediis jam citatis præſertim, oleo amygdalorum dulcium, oleo olivarum & lacte calido copioſe hauſto in doloribus & cruciatibus a purgante deglutito obſervavimus, quoties occaſionem experimenti faciendi obtinuimus: nam remedia iſthæc principio, quo conſtant, mucilaginoſo ac pingui quaſi involvunt ſpicula ſalium cauſticorum, ut ad agendum prorſus fiant inidonea.

§. XXII.

Denique virulentiam purgantium ac damnum, quod corporibus humanis adferunt, nullibi fere exactius cognoſces, quam in morbis vel acutis vel chronicis, ubi imprudenter ſcopo curandi, adhibentur a medicis.

Scholion.

Scholion.

Videas tunc utplurimum ab eorum uſu vel mutationem ſtatus morbi in pejus vel converſionem morbi levioris & minus periculoſi in morbum graviorem & cum ſummo periculo junctum, vel funeſtam plane morbi cataſtrophen induci. Plura hac de re in Capp. de purgantium noxa in morbis acutis. Item: de purgantium noxa in morbis chronicis occurrent, quo lectorem benevolum amandamus.

§. XXIII.

Hanc noſtram, licet paulo compendioſior ſit, de purgantium indole venenata deductionem clariſſime patefacere arbitror, purgantia ob ſal acre, ſubtile, inflammabile vel prorſus e foro medico eſſe proſcribenda vel ut medicamenta heroica ſumma cum cautione & rariſſime absque adjectis acrimoniam cauſticam corrigentibus in uſum eſſe trahenda.

Scholion.

Non obſtat *Hippocratem* magnum medicinæ parentem veratrum in uſu frequentiſſimo ac familiariſſimo habuiſſe. Etenim quod Hippocrates vir medicus cir-

cumſpe-

cumſpectiſſimus & ſapientiſſimus cum ſucceſſu uſurpavit, id alteri judicio Hippocratico non pollenti peſſime cedere poteſt. *Hippocrates* veratrum exhibens ægris, corporum, quibus præſcripſit & circumſtantiarum morbi exquiſitam habuit rationem & forte etiam ipſum tunc temporis corporum humanorum ex ſimplici vitæ genere connatum robur multum contribuit ad ſubigendam talismodi pharmacorum activitatem, quæ ſi noſtro ævo eadem licet doſi & circumſpectione adhiberemus, plurimum noxæ inferre poſſent, quia hominum plerorumque corpora noſtris in locis hæreditariam quandam debilitatem ab ipſo utero acquiſiverunt, quam poſtea adultiores facti vitæ genere partim molli ac voluptuoſo, partim intemperante multis modis adaugent. Neque vero *Hippocrates* tam univerſalem ejus uſum adſeruit, ut ſemper & ubique exoptatus ſequutus fuiſſet effectus, ſiquidem in ſcripto *de veratri uſu* convulſiones, ſingultus ac ſuffocationes quandoque induxiſſe aperte prodidit & cautelas etiam tradidit, ubi & quando in uſum non ſit trahendum. Noſtra etiam non eſt ſententia, purgantium uſum in totum relegandi, ſed id tantum volumus, quod ob

virulen-

virulentum principium inſecurum ac maxime intutum ſint remedium & nonniſi in certis caſibus & peculiaribus ſub circumſtantiis ſumma cautione adhibendum, qua de re in Cap. III. ſequenti pluribus agemus.

§. XXIII.

Deteſtabilis itaque & turpiſſimus mos eſt medicaſtrorum, agyrtarum, balneatorum, mulierculàrum & hujus furfuris aliorum homuncionum, qui medicinæ exercitium ſibi impudentiſſime arrogant, quod tam faciles ac promti ſint in exhibendo fortiori purgante, quo facto nihil aliud efficiunt, quam ut hominum corpora debilitando eadem varii generis potiſſimum vero chronicis morbis exponant vel prorſus mactent.

Scholion.

Talismodi artis medicæ ſtupratores judicium habent fallaciſſimum, inconſtantiſſimum & corruptiſſimum, neve quid faciant vel omittant in ægrorum cura recte norunt, ſed omnia cæcæ fortunæ committunt. Optime ſane eſſet conſtitutum cum republica noſtra, ſi leges civiles ſerio vellent, ut ejus generis peſtes medicinæ merita infamia & pro re nata interdum juſto

ſupplicio adficerentur, quia impoſturis ſuis & homicidiis rem publicam turbant. Profecto inter omnes artes tam liberales, quam mechanicas nulla tot impoſtoribus ſcatet, quam ſancta medicina: hinc non ſine magna ratione acutus *Palingenius in Leone* jam ſuo tempore magiſtratum imploravit his verbis:

Vos quibus imperium eſt, qui mundi frena tenetis
Ne tantum tolerate nefas! hanc tollite peſtem!
Conſulite humano generi! quot nocte dieque
Horum carnificum culpa mittuntur ad orcum?
Vel perfecte artem diſcant vel non medeantur.
Nam ſi aliæ peccant artes tolerabile certe eſt,
Hæc vero, niſi ſit perfecta, eſt plena pericli
Et ſævit tanquam occulta & domeſtica peſtis.

CAP.

Caput II.

De Noxa purgantium in morbis curandis.

§. I.

SUperiori Capite de virulenta purgantium indole egimus generatim, nunc etiam ut disquiramus neceſſe eſt, quomodo hanc ſuam innatam quaſi virulentiam ac nocendi facultatem in morbis curandis ſpeciatim exerant, unde non minimam in praxin medicam circumſpectius inſtituendam utilitatem eſſe redundaturam autumo.

Scholion.

Quoniam ſuperius ea, qua potuit perſpicuitate, ſatis ſuperque fuit demonſtratum, quod revera purgantia cum venenis ipſis exactam habeant convenientiam & ratione principiorum eadem agendi facultate gaudeant, interpoſita tantum hac differentia, quod a venenis gradu differant, ideoque majori doſi exhiberi debeant ad lethalem in corporibus effectum edendum: eam ob rationem jam nobis erit facillimum definire, unde tantorum ſymptomatum in morbis tum curandis, tum præſervandis vera origo dependeat.

§. II.

Ut vero exactam tractationis methodum obſervemus, primum noſtrum inſtitutum erit oſtendendi, qua ratione iſthæc purgantia in febribus curandis noxam haud mediocrem, imo quandoque irreparabilem inferant, quem ordinem etiam in reliquis morbis ingenue obtinebimus.

§. III.

Quod itaque ad febres attinet, in genere licet argumentari, quod nunquam purgantia acriora cum fructu adhiberi queant.

Scholion.

Nam febres nihil aliud ſunt, quam ſpasmi corporis univerſales producti a materia quadam inimica in corpore ipſo generata, vel ab externo aëris miasmate introducta ac diuturniori ibidem mora cauſtica facta, qua ſyſtema arterioſum ac venoſum ad validiores ſanguinis motus ſubeundos potenter irritatur: eam ob cauſam haud difficulter eſt enodandum, quare purgantia in talismodi corporis præternaturali conſtitutione propinata ob acredinem & cauſticitatem, quam ſua natura obtinent, non conveniant, ſed majo-

majores conſtrictiones inducendo in partibus membranoſis ac nervoſis febrilem motum potius adaugeant, renovent & confirment, quam diminuant ac reprimant.

§. IV.

Ut jam ad magis ſpecialiora progrediamur, res in confeſſo omnium recte medicantium eſt, quod purgantia acriora in febribus præſertim auctis bilioſis nocentiſſima ſint & ad inflammationem ſphaceloſam excitandam valde idonea.

Scholion.

Licet in febribus bilioſis alvus diutius clauſa maximas moleſtias creet in ſuperiori maxime regione & agrypniam, delirium, ſitim inexhauſtam, ardorem faucium, earumque inflammationem inferat, hæmorrhagias quoque narium, graves cephalalgias & purpuram interdum rubram producat, non tamen ejus ſolutio acribus purgantibus tentanda ob rationem modo prolatam, ſed humectantibus, clyſteribus, decoctis mannatis & tamarindis. Quapropter *Hippocrates Lib. de purgant.* §. 4. rectiſſime dicit: *quicunque a febribus fortioribus detinentur, iis purgantia medicamenta dare non oportet.* Cane igitur pejus & angue in ejus-

modi febrium generibus evitentur acriora purgantia.

§. V.

In febribus malignis & exanthematicis v. g. in petechiis, purpura, imo ipſa peſte, purgantia validiora ſale acri inflammatorio cauſtico inſtructa inſtar veneni fugienda ſunt: nam ſanguinis circulum jam inordinatum & craſin naturalem humorum jam vitioſam magis turbant & corrumpunt & ſanguinem ad putredinem ſphaceloſam facillime redigunt.

Scholion.

In praxi nullo non tempore obſervavi in febribus omnis generis malignis purgantia vehementiora tam in principio, quam progreſſu morbi oblata mortem induxiſſe & vocatus tertio aut quarto die demum ad ægrotum (ut communis plurimorum ægrotorum mos eſt, qui in principio morbi, ubi pejora ſymptomata facillime prudenti auxilio adhuc averti poſſent, medicaſtros inopes in conſilium adhibent, qui ordinario purgantibus acrioribus ſuas curas adgrediuntur, creſcente tandem morbo vel potius ad mortem deducto morbi ſtatu ad me-

dicum

dicum ordinarium fugiunt) ſoleo prædicere mortem & quantum ſcio, tale prognoſticon nunquam me fefellit.

§. VI.

Purgantia propinata variolis jam adparentibus ægrotum brevi temporis intervallo e medio tollunt.

Scholion.

Nam maculæ poſt uſum purgantium e continenti retrogrediuntur cum ſummo virium collapſu, præcordiorum anxietate, diarrhoea, aliisque ſymptomatibus funeſtis, qualia exempla refert *Diemerbroccius in hiſtoria variolarum & morbillorum.* Natura enim tunc temporis critice occupata eſt ad exterminandam materiam malignam a centro ſanguineæ maſſæ ad peripheriam corporis, uſu vero purgantium incauto prorſus materia ad interiora pellitur ibique exulcerationem inteſtinalem minatur & frequentiſſime etiam infert. Et hæc ipſa eſt ratio, quare illo tempore ordinario alvus conſtrictior eſſe ſoleat, ut nempe hoc modo ſeri ſufficiens quantitas conſervetur ad præſtandam materiæ acris cauſticæ ſolutionem & demum ſubſequentem ſuppurationem.

§. VII.

In febribus intermittentibus, uti tertiana, quartana, adeo non conveniunt purgantia, ut potius ab eorum uſu illarum diuturnitas & contumacia, recidivæ pejores & periculoſæ in alios morbos transmutationes paſſim fuerint obſervatæ.

Scholion.

Medicorum quidem diſcors hac de re eſt ſententia. Alii enim omnem fiduciam in curatione febrium intermittentium in fortioribus catharticis ponunt, ſibi firmiter perſuadentes, illarum ope febrilem materiam optime e corpore eliminari & febrem hac methodo citiſſime tolli. Alii vero uſum purgantium etiam leniorum penitus rejiciunt. Verum duabus his factionibus pro viribus conceſſis reſpondebimus, his quidem, qui penitus purgantium leniorum uſum relegant, ſatisfaciemus infra, illis autem, qui eadem in febribus curandis tam mirifice extollunt, mox reſponſionem, qua erroris hujus fundatam evictionem tentabimus, amice ſuggeremus.

§. VIII.

§. VIII.

Quod purgantium acriorum uſus ſcopo eluendarum ex prima regione ſordium adhibitus ad febrium intermittentium diuturnitatem & contumaciam plurimum ſæpe contribuat, id teſtantur accuratiores ſolertiſſimorum practicorum obſervationes, a quibus ratio ipſa non diſſentit.

Scholion.

Experientiſſimus *Sydenham* adfirmat: purgantia durante febrium motu exhibita nihil effeciſſe, quam ut morbus contumacior evaderet. Et idem in alio loco diſſerens de hac materia ita verba facit: *compertiſſimum eſt nobis, febrem altiores ex uſu purgantium radices agere & pertinacius ſtationem ſuam tueri, quam ſi non fuerit proritata purgantibus.* Ratio in promtu eſt: nam purgantibus fortioribus ſale cauſtico acri pollentibus ventriculi ac inteſtinorum tonus jam dejectus plus adhuc deſtruitur, quo fit, ut novæ humorum vitioſorum & conſequenter materiæ febrilis collectioni anſa detur opportuniſſima.

§. IX.

Recidivas autem inferre purgantia itidem exquiſitiori conſtat experientia: nam febrium paroxyſmos per corticem chinæ chinæ depulſos & ſopitos a datis purgantibus recurriſſe ſæpius obſervavimus.

Scholion.

Hanc ob cauſam non video, quare expulſio materiæ febrilis ſit expectanda ab iis medicamentis, quæ cauſam morbificam de novo quaſi progignunt & inimicum elementum ſanguini & ſuccis vitalibus ſubminiſtrant: nam purgantia fortiora operantur per ſpaſmos. Quod ſi igitur depulſis per remedia antifebrilia ſpaſmis purgantia ſtatim exhibentur fibræ ad ſpaſmodicam conſtrictionem ob diuturniorem febrem adhuc pronæ rurſus in priorem febrilem motum conjiciuntur & ſymptomata omnia acerbiora ſequuntur. Idem itaque eſt, ac oleum igni addere, ſi quis purgantia in febribus exhibeat.

§. X.

Peſſimas quoque febrium in alios morbos tranſmutationes incauto purgantium uſu fieri, itidem veritas eſt, quæ

à pru-

à prudentibus praxeos medicæ obſervatoribus neutiquam in dubium vocabitur.

Scholion.

Sic Clariſſimus Anglorum medicus *Mortonus* obſervavit in praxi purgantibus ſimplicem tertianam eamque admodum benignam & legitimam haud raro in quartanam mutatam fuiſſe cum hydropiſi aliisque funeſtis ſymptomatibus concomitatam.

§. XI.

Peſſimus etiam modus eſt purgantia dare tempore paroxyſmi vel non multo antē febris acceſſum, ſiquidem per experientiam habemus ab exhibito purgante ſubſequentem paroxyſmum ſemper fieri acerbiorem ob intenſiores redditos ſpaſmos, qui febre detentos mire fatigare ſolent.

Scholion.

Ratio hic eſt in procinctu: nam hæc evacuantium genera agunt ſpaſmo, febrem vero omnem intermittentem ejusque paroxyſmos ſpaſmis perfici, conſtrictiones cutis, conatus ad vomendum, præcordiorum anxietates, horripilatio, refrigeratio extremarum partium, alvus clauſa ſatis ſuperque decla-

declarant; ſpaſmis igitur ſtimulante acri ejusmodi pharmaco adauctis non poteſt non exaſperari febrilis impetus.

§. XII.

Itaque ſecundum noſtram ſententiam in omni febrium genere purgantia draſtica, ut maxime damnoſa tam in incremento, quam in decremento febrium prorſus rejicimus & audacter adfirmamus, ægrotos ex uſu purgantium vix alium expectare poſſe effectum, quam qui illis ex eſu fungorum noxiorum contingeret.

§. XIII.

In febribus hecticis ac lentis ab acrioribus purgantibus omni modo abſtinendum, nam ſerum, quod ſervandum erat, educendo humoresque acriores reddendo, mixturam ac motum ſanguinis turbando, purgantia ejusmodi corpora inſigniter debilitant.

Scholion.

Ejusmodi enim corpora ſucco nutritio viribusque exhauſta potius confortantibus, nutrientibus, humectantibus tam medicamentis, quam alimentis ſunt reficienda & non intempeſtive evacuantibus exhaurienda.

§. XIV.

§. XIV.

Quodcunque ſuperius allatum fuit de febribus ac inſultibus febrilibus, quod in paroxyſmo minus locum inveniant purgantia, id valet etiam de catarrhis, coryza & aliis catarrhoſis commotionibus, quibus per certa emunctoria aliquid excernitur, quo tempore minus expedit, purgans exhibere & motus naturæ perturbare.

Scholion.

Neque enim laxantia facile tunc temporis, quo febrilis adeſt commotio & omnia in corpore ſunt conſtricta, officium ſuum peragunt, multo minus vero ex regno minerali petita mercurialia, mercurius dulcis, aurum fulminans purgantibus admiſceri debent, quia plerumque in catarrhoſis iſtis febribus ſaburra quædam acidoſalſa in ventriculo reperitur, quæ admixtione mercurialis remedii corroſivam & cauſticam indolem acquirit. Clariſſimus Germaniæ Medicus *Frid. Hoffmannus in Diſſert. de imprudenti medicatione multorum morborum cauſa* §. 11. refert caſum de fœmina tenerioris & ſenſibilioris naturæ, quæ ſub principium autumni in febrem catarrhalem cum

coryza, tuſſi, alvo adſtricta & glandularum tumore incidit, cui inter alia datum fuit purgans quod merc. dul. gr. x. & extr. panchym. Croll. gr. xx. habebat, hoc ſumtum de nocte incredibiles fecit anxietates cardialgicas cum vomitu viridi, ventrem quoque tormina fatigarunt cum aſpectu faciei miſerrimo. His in caſibus movendum quid eſt, ſecuriſſime id fit per clyſteres, mannata, rhabarbarina, caſſiata, dum mannata ſimul humores edulcorant.

§. XV.

In omni inflammatione, ſive ea conſiſtat in cerebro ſive diaphragmate, ſeu membranis coſtas ſuccingentibus ſive in pulmonibus, in oris quoque ventriculi & hepatis incendio purgantia vel etiam laxantia interne propinata vehementer lædunt: nam circulum ſanguinis magis turbant & inflammationem augent.

Scholion.

Præclare de hac re ſentit *Hippocrates* in ſcripto *de veratri uſu* §. 13. *Quicunque inflammata in principio morbi ſtatim medicamento ſolvere ingrediuntur, hi de eo quidem, quod diſtentum eſt ac inflammatum, nihil auferunt*

ferunt (neque enim remittit, qui crudus eſt affectus) ea vero, quæ morbo reſiſtunt & ſana ſunt, conſumunt. Corpore vero debili fiente morbus ſuperat & immedicabile malum habent. Teſtatur id ipſum quoque praxis quotidiana, quippe nota mihi ſunt exempla quam plurima ægrotorum, qui inflammatione ventriculi detenti pharmaco purgante improvide ad orcum amandati ſunt.

§. XVI.

In morbo ſic dicto ſacro ſive eryſipelate purgantia acriora nocentiſſima ſunt, eo quod materiam peccantem ad exteriorem corporis partem critice delatam ad interiora repellunt non ſine ingenti periculo.

§. XVII.

Porrò in omnibus hæmorrhagiis & diſpoſitione ad fluxum ſanguinis purgantia peſſimæ notæ ſunt: nam ſanguinis circulum jam inordinatum magis pervertunt, humores commovent, oſcula vaſorum ſanguiferorum dilatant & hac ratione hæmorrhagias graviores & ſæpe etiam lethales concitant.

§. XVIII.

Menſes nimis fluentes in fœminis, ut & hæmorrhoidum in viris fluxus largior

gior purgantium draſticorum exhibitione adeo non cohibentur ac in ordinem rediguntur, ut potius ſanguis majori vi & copia eruptionem tentet.

Scholion.

Uti in omni hæmorrhagia, ſic quoque in nimio menſium ac hæmorrhoidum fluxu plerumque obſtructio & labes quædam in liene vel hepate hæret, vel ſpaſmodicæ conſtrictiones in internis viſceribus adſunt, unde liber ſanguinis circulus impeditur, dehinc creſcente motu in aliis partibus vaſa ſanguifera nimium diſtenta aperiuntur & ſanguinis eruptio violenta contingit, quæ non imminuitur purgantibus adſumtis, ſed potius mirum in modum augetur, eo quod ſale iſto volatili, acri purgantium ſanguinis motus acceleretur & criſpaturæ ſpaſmodicæ in ventriculo ac inteſtinis majores exoriantur.

§. XIX.

Quemadmodum in nimio menſium vel hæmorrhoidum fluxu purgantia locum non inveniunt: ſic quoque in earundem ſuppreſſione vel plenario defectu paulo ante vel circa conſuetum alias fluxionis tempus non dari debent, quoniam

niam ab eorum perverſo his in caſibus uſu peſſima ſymptomata & fatales exitus obſervati fuerunt.

Scholion.

Nobis cognita ſunt exempla, quod hæc ipſa inſtante fluxu propinata miras anxietates, ſpaſmodicas præcordiorum conſtrictiones, cardialgias, imo vomitum cruentum ſuſcitarunt cum ſumma virium proſtratione & vitæ periculo. Nam quando natura eſt in motu ſupervacaneum ſanguinem expellendi, ſpaſmodicæ conſtrictiones hinc inde in partibus membranoſis fiunt, quibus ceu inſtrumento natura perpetuo uti ſolet ad expellendum id, quod copia eſt inimicum. Hos itaque motus & ſpaſmos talismodi excitantia augere ſolent non ſine damno.

§. XX.

Error maximus eſt & tamen practicis multis familiariſſimus, quando fœminis poſt diuturniores prægreſſos morbos ſeri inopia & conſequenter menſium defectu laborantibus purgantia & emmenagoga ſulphureis acribus calidioribus particulis conſtantia ordinant, hac enim methodo plurimæ in febrem

lentam vel hecticam aut phthiſin, itemque febres acutas inflammatorias atteſtante id ipſum ſolida experientia miſerrime conjiciuntur.

Scholion.

Tali namque in caſu præſtat potius propinare ea, quæ ſerum & chylum laudabilem ingenerant, uti ſunt confortantia, nutrientia & balſamica, quibus optime natura debilitata ad officium redigitur.

§. XXI.

Sub dolorum atrocia exhibitione purgantium acriorum ex validiorum claſſe mirandum in modum quotidie peccatur.

Scholion.

Etenim præſente dolore adfligitur genus nervoſum & conſtringitur ac inteſtinorum quoque motus periſtalticus vim patitur, ut eo tempore alvus parum vel nihil reddat, ubi purgantia fortiora nihil aliud præſtant, quam ut ſpasmos atque dolores exaſperent.

§. XXII.

Ex modo allatis facile intelligi poteſt, quam graviter illi medici delinquant, qui, quando infantibus ex dolore difficilis

cilis dentitionis alvus conſtringitur, eam acribus purgantibus datis movere intendunt, qua methodo prorſus damnanda ad majores motiones febriles & convulſiones nervorum ſyſtema diſponunt.

Scholion.

Placet hoc loco allegare, quid hanc in rem diſſerat magni nominis *Machaon Hallenſis*, *Frid. Hoffmannus in Diſputatione ſuperius citata: de imprudenti medicatione multorum cauſa*, ubi ſequentem caſum nobiscum communicat. Infans aliquot menſium a nativitate bene ſe habuit, per alvum excrementa reddidit ac placide dormivit. Menſe ſeptimo ſub acceſſu dentitionis male ſe habet, alvus non bene reſpondet & excrementa ſecedunt viridia, corpus calet; inquietus eſt, ingeruntur multa & varia remedia, frequentius quoque offertur ad alvum laxandam pulvis radicis gialappæ ad grana ſex cum ſyrupo rhabarbari, clyſteribus quoque crebrius alvus tentata, ſubſecutæ fuerunt cum febre convulſiones & mors. Epicriſis, quam eruditiſſimus auctor adjicit, ſic ſe habet: tametſi dentitio in infantibus facile funeſtas convulſiones

producere poſſit, minime tamen adprobamus hanc methodum, quando omnia ſunt propter dolorem in ſpasmo, motu & conſtrictione, acria quod dentur purgantia & copia ingeratur medicamentorum, eo quod hæc ſpasmos graviores efficiant & naturæ vires mirum fatigent. Auro carior debet eſſe hæc practica regula, naturam a morbo irritatam non ulterius acribus medicamentis eſſe irritandam. Novimus infantes, quibus, cum alvus non recte reſponderet, datum ex gialappa purgans aliquoties ita dejecit inteſtinorum tonum, ut alvus nunquam ad priſtinum ſtatum redierit. Videmus ex his, quam periculoſum ſit, infantibus dentitionis dolore laborantibus draſtica purgantia præbere ſcopo aperiendi alvum, quæ utplurimum clauſa & conſtricta ſolet eſſe.

§. XXIII.

In dolore colico non poſſunt non purgantia acriora truculentum exſerere effectum ob ſpasmos inteſtinales, quos non auferunt, ſed addunt.

Scholion.

In praxi mea ſæpius immanes tragœdias talibus in caſibus ſum expertus, ſic haud ita pridem

pridem medicus quidam Religioſo cuidam dolore colico & obſtructione alvi laboranti vinum medicatum purgans ordinavit, hauſto hoc medicamento non ſolummodo obſtructiones pertinaciores ſed & ferme intolerabiles cruciatus & dolores in inteſtinorum canali antiſpasmodicorum & anticolicorum remediorum vires propemodum ſpernentes ſuſcitati fuerunt. Alius medicus, qui ultra viginti annos jam praxin exercuit, ante aliquod tempus Prælato cuidam dolore colico & obſtructione alvi detento repetita vice vehementiora purgantia exhibuit, quorum poſt adſumtionem Reverendiſſ. ægrotum immanes dolores & motus convulſivi maximo cum vitæ periculo invaſerunt. Et talismodi exempla plurima in praxi quotidiana occurrunt. Neque etiam novum eſt, lethalem ſecutam fuiſſe illorum uſum cataſtrophen, uti bene notat Joh. Jac. Wepferus in M. N. C. D. I. A. II. Obſ. 39. qui refert: colica bilioſa a vino bismutho & ſaturninis adulterato laborantes uſu purgationum, dolores non modo exaſperaſſe, ſed & pareſin imo mortem acceleraſſe. Etenim inflammatio dolorifica inteſtinorum facile imprudenti hac medicatione ad funeſtam ſphacelationem deducitur.

 §. XXIV.

§. XXIV.

In colica flatulenta purgantia comprimis fortiora alvo per clyſteres nondum aperta nihil operantur & per os iterum ejiciuntur. Eo minus autem talia præſcribenda ſunt, quo magis jam concurrunt vomitus & febris, utpote inflammationis profundioris indicia.

§. XXV.

Acriora purgantia calculum jam commotum ulterius movent & hoc modo omnia ſymptomata una cum motibus febrilibus graviora reddunt.

Scholion.

Calculus ſæpe ingens renibus inhæret, adeo ut totam illorum ſubſtantiam occupet absque tamen manifeſto dolore, qui tum demum ſe exerit acerbiſſimus, quando tranſitum molitur per uretheres valde ſenſibiles eosque mole ſua vel aſperitate lancinat ac comprimit & impactus ibi firmiter manet. Quodſi adminiſtratione igitur improvida purgantium acriorum ejus excluſio intenditur ante ſpasmorum factam relaxationem & materiæ calculoſæ ſolutionem, non poteſt non dolor major cum inflammatione & febre ſatis periculoſa pro-

creari. Idem quoque fit in calculo veſicæ, ſi ille deſcenſum per urethram parans ob magnitudinem moram ibi facit longiorem.

§. XXVI.

Arthritici dolores, qui a ſero tenui ſalſo, acri membranas articulorum corrodente originem ducunt, purgantibus ſale cauſtico imbutis adeo non tolluntur, ut potius morbus aliam ſpeciem induat & ſymptomata longe acerbiora inde emergant.

Scholion.

In hujus ſententiæ illuſtrationem non poſſum non brevibus recenſere hiſtoriam, quæ a Cl. *Hoffmanno in Diſput. de converſione morbi benigni in malignum* communicatur & ita ſe habet: Juvenis viginti ſex annorum Halæ Saxonum in ſervitiis illuſtriſſimi viri conſtitutus temperaturæ admodum cholericæ corripiebatur arthritide vaga cum calore præternaturali, hic dolorum & temporis, quod legitima exigit cura, impatiens, empirici ope utebatur, qui brevi dolorem ſe extinguere velle promittebat, quem in ſcopum ſæpius adminiſtravit purgantia fortiora, nec non pulveres ſalinos &, quod no-

tabile fuit, pro ordinario potu, acetum vini cum aqua & ſaccharo commixtum commendabat. Melius elapſa ſeptimana ſe habere viſus eſt æger, utpote dolores artus deſerebant, tandem ab omnibus quaſi immunis veſte ſe induebat & ambulare volebat. Inſequente autem nocte præter adſtantium opinionem graviſſimis pathematibus torquebatur, delirabat frequentiſſime & membra hinc inde convulſionibus agitabantur & inter eas ſpasmus cynicus horribilis per multos dies conſpiciebatur, caruit omni ſomno & cibo, pulſus æqualis, ſed ſatis vehemens & paulo crebrior notabatur: Plura fuerunt incaſſum uſurpata, tandem viſus morbus eſt quaſi in furorem tranſiiſſe, dum ſtupendo robore inſtructus perpetuo ridebat vel cantabat, blasphemias atroces eructabat & ex feneſtra ſe præcipitare moliebatur, adeo ut vix a tribus hominibus potuerit contineri. Perſeverarunt hæc cuncta per 14. dierum fermè ſpatium, donec auxilio convenienti ſublevaretur. Nulli hic dubitamus, perverſa medicandi methodo truculentam hanc naturam adſumſiſſe malum, utpote purgantia acredinem cauſticam veneno plane non abſimilem, ſali morboſo addunt & ſerum lau-

dabile,

dabile, quod ejus ferociam diluere ſicque minuere debebat, detrahendo, ſal a congruo cutis excretorio ad interiora viſcera revocant, unde mirum quantum ratione acredinis & volatilitatis exaltatur. Hanc ob cauſam recte purgantia acutiſſimus *Sydenham* in podagra & arthritide magnopere damnat. *Lib. de podagra*, dum ſcribit: *tam mei ipſius, quam aliorum periculo compertiſſimum habeo, catharſin quovis tempore adminiſtratam, ita parum votis reſpondiſſe, ut malum, quod debebant averruncare & avertere accerſerent.*

§. XXVII.

In morbis ſpasmodicis & convulſivis in ejusmodi corporibus, ubi ſpiritus facile proni ſunt ad ſpasmos, uti in epilepſia, inſultu hyſterico vehementiora purgantia maximum damnum inferunt: nam ſpasmodica conſtrictione dum agunt ejusmodi medicamenta, nonniſi motus convulſivos vehementiores accerſunt.

Scholion.

Ita effectum plane funeſtum purgantia in infante trium annorum obſtructione alvi & motibus epilepticis laborante produxerunt,

xerunt, dum illa a chirurgo repetita vice exhibita non ſolummodo obſtructiones & motus convulſivos auxere, ſed & mortem intulere. Notum mihi eſt exemplum recens de virgine quadam paſſione hyſterica laborante, cui pharmacopola naſutulus oggenniens ægrotam vermibus laborare, purgantem pulverem ex reſina jalappæ conſtantem exhibuit, ſed infelici cum ſucceſſu, dum per ejusmodi acre medicamentum paroxyſmos hyſtericos per aliquot dies durantes & ferme ægrotam jugulantes excitavit.

§. XXVIII.

Omnes, qui malo hypochondriaco adfecti ſunt, maxime ſibi caveant a purgantibus fortioribus, nam obſervatione certa conſtat, per ejusmodi pharmaca malum exaſperari & ventriculum cum inteſtinis ad ſpasmos frequentius reiterandos hoc modo diſponi optime. Quid quod in malo diuturno & in habitum quaſi redacto præter immania ſymptomata mortis quoque periculum ſit metuendum, quia hypochondriacorum ſyſtema nervoſum valde imbecillum & ſenſibiliſſimum eſt.

Scholion.

Scholion.

Tragicum effectum ipſe ab exhibito helleboro albo ante quindecim circiter annos obſervavi. Medicus quidam paſtori urbis Imperialis cujusdam primario affectu melancholico hypochondriaco laboranti inconſiderate helleborum illum mortiferum propinavit, cujus vero uſum elapſis ſaltem aliquot horis mox ſecutæ fuerunt anxietates ſummæ circa præcordia, animi deliquia, deliria, inflammationes, convulſiones & tandem mors. Corpore dehinc cultro anatomico ſubjecto ventriculum inflammatum ſtriis maculisque rubris diverſis refertum mecum medicus iſte incautus & ob eventum adeo infauſtum attonito ſimilis conſpexit.

§. XXIX.

Nihil magis perniciosum eſt, quam poſt graviorem iracundiam & ſymptomata ac affectiones, quæ ex ejus ferocia prodeunt, ut ſunt anxietates præcordiorum, conatus quoque vomendi, conſtrictiones circa præcordia, æſtus corporis & amaror oris a bile accenſa & diffluente, exhibere purgans vel etiam emeticum draſticæ indolis.

Scholion.

Plures novimus ab emeticis vel purgantibus hoc caſu adhibitis internecioni datos, utpote in ejusmodi corporis ſtatu ventriculus vehementi ſpasmo affectus eſt una cum annexis & vicinis partibus, unde in ea regione, ubi dextra ventriculi pars ſita eſt, ſenſibilis compreſſio, nauſea, conatus ad vomitum, os ſapore amaro diffluens percipitur. Quodſi igitur ejusmodi in caſu purgans vel emeticum præſertim in forma pulveris datur, facile evenire poteſt, ut propter ſpasmorum violentiam inflammatio, ni protinus diſcutiatur, lethifera evadat. Haud ita pridem civis Memmingenſis prægreſſa vehementiori ira, incidit in æſtum præternaturalem cum oris amaritie, cui medicaſter quidam ad educendam bilem porrexit purgans validius, ſed infelici ſucceſſu, nam æger correptus febre inflammatoria elapſis aliquot diebus vitam cum morte commutare coactus fuit.

§. XXX.

In omnibus obſtructionibus, ſcirrhis ac infarctibus v. g. glandularum meſaraicarum, hepatis, lienis purgantia acria ſcopo curandi non ſunt accommodata & inſigni cum damno exhibentur.

Scholion.

Scholion.

Ratio hujus rei in promptu eſt; Primo enim affectu tali laborantes imbecillia habent corpora & ſpasmis obnoxia: purgantibus vero draſticis adſumtis debilitas major corporibus accedit & ſpasmorum fit intentio. Deinceps in ejusmodi affectibus vaſa ſanguifera viſcerum præſertim quoad minores ramificationes infarcta & obſtructa ſunt, ſanguis eſt craſſus ac ſumme impurus & ſero ſufficienti deſtitutus: purgantibus autem adeo non reſolvitur hic infarctus, ſed potius ſanguis ſero ſuo magis orbatur, ut, dum hac ratione majorem ſpiſſitudinem acquirat, ad infarctus & obſtructiones firmandas fiat aptiſſimus. Ne dicam, quod ſalino cauſtico purgantium ſtimulo nimis commoveatur ſanguis & in alias partes motu hoc præpoſtero adigatur, quod ſæpius non ſine ſubſequente multorum ſymptomatum agmine fieri ſolet.

§. XXXI.

In diſpoſitione cordis ſyncoptica vel deliquio animi maxime a purgantibus cavendum eſt.

Scholion.

Purgantia enim circulum ſanguinis inordi-

ordinatiorem reddendo & ſpasmos diaphragmatis ac præcordiorum adaugendo facile novam ſyſtoles ac diaſtoles quietem efficere poſſunt.

§. XXXII.

In phthiſi & vomica pulmonum purgantia nihil aliud efficiunt, quam ut malum exaſperando & humores nimium commovendo vires frangant, febrem augeant & ſæpe expectorationem ſumme neceſſariam ſupprimant, ut adeo præſens vitæ periculum ab eorum uſu immineat.

§. XXXIII.

In tuſſi ſicca catarrhali purgantia maximam noxam corpori inferunt, quia humores ſalſo-acres acriores reddendo inque majorem motum adigendo, vehementior humorum ſalſo-acrium in pulmonum ſubſtantiam fit defluxio & hinc tuſſis acerbior concitatur hacque ratione facili negotio ægrotantes in tabem præcipitantur. vid. *Deckeri Exercit. practic. p.* 312.

§. XXXIV.

Vituperandus quoque eorum uſus in exulceratione renum ac veſicæ, ubi itidem

dem humores nimis commovendo non poſſunt non damno eſſe & malum exaſperare.

§. XXXV.

In cachectico fœminarum ſtatu & chloroſi virginum purgantia draſtica, præſertim ſi paulo largiori doſi præſcribantur, non explent fiduciam empiricorum, quam de ipſis cæco impetu absque ullo rationis momento conceperunt, ſed damnum adferunt vix reparabile.

Scholion.

Sic fœminam cachecticam novi, quæ erat plethorica, obeſa, & pedes habebat tumidos, cui ab empirico quodam præſcripta fuit purgatio, quæ drachmam ſemis extracti panchymagogi Crollii & grana octo reſinæ gialappæ continebat, cujus uſum mox cum cardialgia atrocia tormina excipiebant, altero die nec manum, nec pedem poterat movere, memoria quoque erat imminuta. Non aliunde hujus mali origo, quam a forti purgante petenda eſt, nam gialappæ reſina firmius inteſtinorum tunicis adhæreſcens, ingentes concitat ſpaſmodicas conſtrictiones, quarum vehemen-

tia impurus & ſeroſus ſanguis ad caput & ſpinalis medullæ principium pellitur, ubi periculoſæ ſeri ſtagnationes hæc mala protulere.

§. XXXVI.

In atrophia data purgantia exaſperant affectum & ad hecticam magis diſponunt, præſertim ſi ſubjecta fuerint ſenſibiliora.

Scholion.

Ratio hujus effectus non eſt redditu difficilis, nam iſthoc affectu correpta corpora ſuccis & ſanguine maximam partem exhauſta ſunt: huic autem curationis indicationi purgantia non quadrant, potius enim quod ſupereſt ſuccorum ac virium, conſumunt.

§. XXXVII.

An purgantia in hydrope curanda conveniant, nec ne, valde diſcors eſt medicorum ſententia. Alii in adfirmantium, alii in negantium ſententiam deſcendunt, alii medium inter utrosque tenent & eorum uſum quandoque eſſe eximium, quandoque autem locum non habere, pro diverſa circumſtantiarum ratione, contendunt. Nos

pedi-

pedibus in ſententiam eorum gradimur, qui eorum uſum prorſus fere abhorrent & damnant tanquam ſterilem ac vitæ inimicum.

Scholion.

Fatemur quidem purgantia fortiora in refracta doſi cum additione ſalium digeſtivorum ſecundum Excell. *Frid. Hoffmanni* methodum poſſe quandoque non absque fructu uſurpari : ſed cum inſtitutum noſtrum hoc loco tantum ſit oſtendendi noxam purgantium in morbis, quatenus illa in ſubſtantia atque in tali forma, ſub cujus præparatione nihil ſuæ virulentiæ dependere poſſunt, quatenus etiam ſine adjectione & intima mixtione corrigentium & ſpicula ſalium cauſticorum involventium ſpecierum indiſtincte a vulgo adhibentur: hinc non poſſumus non ſtatuere, purgantia talismodi in hydrope, ut ſumme noxia, merito eſſe proſcribenda. Infra vero etiam benevolus lector videbit, nos non impugnare purgantium in certis caſibus uſum, ſi congrua doſi, apta forma & additione rerum, quæ virulentiam iis quodammodo demunt, adhibeantur.

§. XXXVIII.

Manet itaque firma & inconcuſſa

 ſen-

ſententia, quod in hydrope per aliquod tempus jam durante & viribus debilitatis, ubi jam ſcirrheſcentia & inclinatio viſcerum ad putredinem præſens eſt, purgantia ſale inflammatorio inſtructa ægris propinata eosdem mirum in modum debilitent & plerumque morti tradant.

Scholion.

Unanimis medicorum eſt ſententia, hydropis cauſam conſiſtere in lentore ſanguinis & reliquorum humorum, ut & in tono viſcerum debilitato & obſtructione tubulorum ac vaſorum lymphaticorum. Quodſi jam purgantium indolem & agendi modum penſitaverimus, quis quæſo adfirmaverit, illa cauſas morbi hujus poſſe tollere? Adaugent ea potius ſale ſuo acri ſpasmodicam contractionem in viſceribus & jam labefactatum tonum ventriculi & inteſtinorum magis debilitant, hacque ratione obſtructionibus viſcerum velificantur eorumque inflammationem ſphaceloſam inducunt. Haud unus mihi obtigit caſus, ubi expurgante dato in hydrope fatalis exitus eſt ſecutus. Non ita pridem balneator quidam temerarius tale experimentum per mortem ægroti fecit. Hic enim thra-

ſonice

ſonice (uti id genus hominum ſolet) gloriatus eſt, ſeſe hydropicum curæ meæ alias traditum brevi temporis ſpatio per fortiora purgantia curare velle, ſed intercapedine duorum dierum uſu validioris purgantis ex gummi gutta conſtantis æger ante terminum ordinarium vitæ animam efflare miſerrime coactus fuit. In ulteriorem hujus rei confirmationem legi poteſt Excell. *Frid. Hoffm. Diſſert. de purgantibus fortioribus e medicina ejiciendis* §. 17. Cl. *Rolfinkius* obſervavit, ſubitanea ſeri per purgantia evacuatione catarrho ſuffocativo virum illuſtrem hydrope laborantem extinctum fuiſſe. Non parum quoque ad purgantium in hydrope uſum refellendum confert illa obſervatio, qua docemur, ab uſu draſticorum purgantium hydropem poſſe progigni, uti videndum in *Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. III. A. IV. Obſ. XI. it. in notis ad Poter. Excell. Frid. Hoffm. pag.* 8. Mihi recens exemplum in memoria hæret juvenis cujusdam in ſervitiis Illuſtriſſimi Comitis de Babenhauſen, Domini mei Gratioſi, degentis, & debilitate & flatulentia ventriculi laborantis, qui a Parocho quodam medicaſtro & ob frequenter adhibita vomitoria & purgantia draſtica maxime famoſo, ſpatio quin-

que ſeptimanarum plusquam quinquies ἄνω καὶ κάτω ſatis vehementer purgatus eſt, ita ut ab uſu emetico-catharticorum tympaniticus factus brevi poſt vitam miſerrime finierit.

§. XXXIX.

In ſcorbuto præſertim calido & bilioſo omnia purgantia validiora, quæ vehementer humores corporis noſtri comovent, pernicioſiſſima exiſtimanda ſunt, quoniam tenue fluidum nimis ſubtrahunt & majorem acrimoniam humoribus adferunt.

§. XL.

In alvi fluxione præſertim ea, quæ per tempus jam duravit & ubi excrementa ſanguine tincta ſecedunt, nonniſi maximo cum periculo purgantia offeruntur.

Scholion.

Etenim in diarrhœa benigniori ſtatim in principio laxantia rhabarbarina & alia leniora conveniunt, minime vero ejusmodi ſale cauſtico inſtructa purgantia, quoniam ventriculi & inteſtinorum tonum naturalem jam labefactatum magis debilitant & acredinem majorem humoribus conciliando

do fluxum alvi multo deteriorem reddunt. In dyſenterico vero fluxu, ubi ſanguis ſimul cum excrementis mixtus ſecedit & inteſtinorum tunicæ eroſæ ſunt, perfacile mors improvido purgantium uſu accerſi poterit, eo quod acrimonia ſua exeſionem inteſtinorum adaugent & ſpasmos dolorificos exacerbant.

§. XLI.

Paralyſin quod concernit, praxi ſolidiori conſtat, non paucos in uno latere paralyſi tactos, ſi in principio morbi fortiora propinata purgantia fuerint, humoribus & ſanguine in motum inordinatiorem redactis etiam in altero latere paralyticos factos & denique mortuos eſſe. In genere hîc notandum, quod purgantia fortiora maxime vitari debeant in paralyſi ſanguinea.

§. XLII.

Vertiginoſis haud conducunt fortiora purgantia, quia ſanguinem & humores in motum inæqualiorem & irregularem magis deducunt, indeque ſpiritus in gyrum quaſi circumrotantur & tali ratione vertiginem minime tollunt, ſed potius adaugent & curatu difficiliorem reddunt.

§. XLIII.

Peccatum quoque committitur non mediocre in curandis infantum morbis, dum nonnulli medici tam promti ſunt, quando male ſe habent in præſcribendis purgantibus etiam acrioribus, uti eſt pulvis & reſina gialappæ, diagridion: quæ naturæ infantum tenerrimæ valde infenſa ſunt, dum non modo univerſum genus nervoſum graviter lædunt, ſed & ad febriles commotiones & convulſiones diſponunt infantes.

§. LXIV.

Ex hiſce omnibus adductis luculentiſſime patere arbitror, purgantium uſum æque in acutorum morborum ac chronicorum curatione eſſe maxime inſecurum ac intutum, ideoque vix admittendum.

Scholion.

Foverunt hanc ſententiam ex antiquioribus medicis methodici, quorum ſecta in Ægypto florebat, hinc ſolis lenientibus v. g. manna, caſſia, tamarindis utebantur, ne purganda corpora nimium agitarentur ac perturbarentur, imo plerique clyſteribus purgationem inſtituebant potius, quam medicamentis per os adſumtis, ut qui minime corpora agitant. conf. *Alpinus de Medic. Ægypt. pag.* 5.

CAPUT.

Caput III.

De noxa purgantium in morbis præſervandis & ſanitate ac vita conſervanda.

§. I.

MEdici poteſtatem in præſervandis morbis longe eſſe efficaciorem, quam in iisdem a corpore propulſandis, facile omnium recte de medicina judicantium meretur applauſum.

Scholion.

Etenim in morbis a corpore debellandis admodum reſtricta eſt medici poteſtas ob circumſtantias varias, quæ ipſius ſolertiæ & auxiliatrici manui obicem ponunt. In affectionibus acutis potius obſervatorem ac ſpectatorem agit naturæ, cujus motus heterogeneos quidem interdum ingenioſe ſublevare, non vero prorſus in ordinem redigere poteſt ipſa renuente. Ubi vero chronica labes partibus inſedit, major quidem in recta curandi methodo auxilii ſpes ponenda eſt, nihilominus tamen ſemper & ubique ſcopum ſuum haud attingit, quandoque enim ſubjectorum differens indoles, cauſarum morbi profunditas,

ditas, medicamentorum ad radicem morbi prorſus eruendam inſufficiens activitas & aliæ circumſtantiæ intentionem ſuam mirifice fallunt. In tutela vero ſanitatis ſolo exactiori vitæ regimine ac paucis quandoque medicamentis, quæ tonum partium, ſecretiones ac excretiones in vigore æquabili conſervant, a medico judicio prudenti inſtructo poſſunt præſtari miracula, quia corpus hac ratione non modo ab omnibus affectionibus reddit immune, ſed & vitam diutius prolongat.

§. II.

Licet vero tam eximii uſus ſit illud ſtudium, quod hominibus fundata præcepta ſuggerit, quorum diligenti obſervatione fructum ſanitatis ac diutinæ vitæ conſequi & morbos ab ipſorum corporibus avertere poſſent, nihilominus vix milleſimus quisque curam ſanitatis ſuæ geſtit habere & paucos etiam hodie invenias medicos, qui in hoc ſtudio excolendo deſudant & aliquid memorabile ad uſum hominum proferunt.

Scholion.

De arte præſervandi morbos ut plurimum

mum altum in medicorum libris eſt ſilentium & ſiquid de hac muſſitant, certe

Sunt apinæ tricæque & ſi quid vilius iſtis. Quidam non verentur, neglecta omni fere diæta medicamentum quoddam ineptiſſimæ ſæpius mixtionis ac compoſitionis turpis lucri ſtimulo pro medicina univerſali & præſtantiſſimo a quibusvis morbis præſervatorio commendare, cum tamen ſi effectum exinde redundantem perpendas, operatio illius plerumque vel prorſus effœta ſit vel in peculiare quoddam vitioſorum humorum excretorium directa, ut vel alvum ſollicitet, vel ſudorem moveat, vel diareſin pariat, vel aliam evacuationem moliatur. Et hac ratione omnia ſimplicia poſſent dici univerſalia remedia & præſervantia ab omnis generis morbis. Sic ad mentem celeberrimi alias *Bontekȯe* Batavi medici fumo tabaci nihil ad vitam & ſanitatem conſervandam eſſet magis proficuum, & magis neceſſarium. Tacemus alias ineptias, quas hinc inde in medicorum monumentis conſignatas reperire licet.

§. III.

Opinio hodie vulgaris tantum non ubique locorum obtinuit, nihil eſſe ad ſanitatem & vitam diutius conſervan-

dam, itemque ad graviſſimos morbos præſervandos præſtantius, quam quovis ſemeſtri, vernali nempe & autumnali, corpus cathartico efficaci ex validiorum genere ſtrenue purgare, quoniam hac methodo optime coacervatas ſordes & humores vitioſos ex inteſtinorum canali & univerſa maſſa ſanguinea per alvinam regionem evacuari poſſe, ſatis confidenter ſibi perſuadent.

§. IV.

Quod vero ex hac purgandi conſuetudine parum commodi in ſanitatem & vitam humanam redundet, id generatim perſpicimus ex eo, quod corpora robuſta & perfecte ſana, mirum in modum ab ejusmodi cura præſervatoria debilitentur & ad morbos præſertim chronicos diſponantur.

Scholion.

Deſtruunt enim purgantia acribus ſuis ſpiculis tonum ventriculi & inteſtinorum motum periſtalticum, hinc fit, ut ordinario purgationem per acria medicamenta factam ſequentibus diebus alvus tenſa & adſtricta conſequatur.

§. V.

§. V.

Languor corporis & virium proſtratio, inappetentia, ſitis, pulſus crebrior & facies aſpectu inamœna, & contracta, aliæque turbæ, quæ ejusmodi evacuationes in ſaniſſimis etiam corporibus comitantur, ſatis ſuperque teſtari poſſunt, quod uſus eorum ad ſanitatem confirmandam non adeo ſalutaris eſſe queat.

Scholion.

Ad majorem hujus rei illuſtrationem lubet caſum hîc adjungere, quem Clariſ. noſtro ævo Germaniæ medicus *Frid. Hoffmannus in Diſſertat. de imprudenti medicatione multorum morborum cauſa* communicavit, in quo turbæ illæ, quas purgantium acriorum uſus in ſanis corporibus producere poteſt, perquam fideliter & accurate obſervatæ ſunt. Verba autem graviſſimi viri ſic ſe habent: ſanus & robuſtus homo tempore verno poſt venæſectionem petit præſervationis cauſa à medico purgans, quod conſtabat ex extracto hellebori nigri, gummi guttæ, reſina gialappæ, trochiſcis alhandal ana granis octo: forma pilularum ſumſit, inde anxietates paſſus eſt cum duobus vomitibus

mitibus & quatuor ſedibus, circa veſperam pulſus fit celer, ſiti afficitur, nox eſt inquieta. Medicus altero mane accerſitus exiſtimans multos pravos ſuccos in primis viis latere, qui non ſufficienter evacuati eſſent, iterari hoc purgans juſſit, ſed ſecuta fuerunt ingentia tormina, cardialgiæ & colicæ inflationes aliquot ſedibus ſubſecutis, ſed appetentia dejiciebatur & ſummus aderat virium languor, juſcula data fuerunt hordeacea, melius quidem ſe habuit, ſed ex eo tempore nunquam non de tenſivis flatulentiis, mala digeſtione & alvo non recte reſpondente conqueſtus eſt. Et hæc hiſtoria egregie confirmat veritatem *aph. XVI. Sect. IV. Hippocratis*, ubi ait: ἐλλέβορος ἐπικίνδυνος τοῖσι τὰς σάρκας ὑγιέας ἔχουσι· σπασμὸν γὰρ ἐμποιέει. i.e. veratrum periculoſum eſt, ſanas carnes habentibus, ſpasmum enim vel convulſionem inducit aut efficit. conf. *aph. XXXVI. Sect. II.*

§. VI.

Quoniam innumera ſunt incommoda atque mala, quæ ex improvida talismodi cura præſervatoria in ſanis corporibus generari poſſunt: hinc ii optimam ſanitatis ſuæ tutelam gerunt, qui purgationibus hiſce præſervationis cauſa

ſa tantopere commendatis locum plane non dant.

Scholion.

Etenim ſana corpora prorſus non egent medicina & medicis quoque juxta *Celſi* mentem optime carere poſſunt. Nam ſi omnia recte ſe habent in corpore, ſi ſanguis regulariter per tubulos arteriarum & venarum fluit ac refluit, ſi functiones omnes debito modo peraguntur, quid quæſo adſumtione medicamentorum cujusvis generis activorum aliud efficiemus, quam ut alterationem quandam in machinam introducamus vel, quod idem eſt, ſtatum corporis ſanum aliquo modo pervertamus: ſiquidem omnium medicamentorum virtus in eo terminatur, ut vel motum diminuant vel eundem accelerent, motu igitur æquali & moderato exiſtente, qualis in ſtatu corporis ſano & ſecundum naturam omnino eſſe debet, non poteſt non a medicina activa præſertim purgante illa regularitas motus & conſequenter ſanitas turbari.

§. VII.

Obſervatione conſtat practica ſana corpora ad chronicos morbos, uti ad malum

malum hypochondriacum, paſſionem hyſtericam, ventriculi atoniam, flatulentias, colicam & quæ ſunt alia mala vehementioribus iſtiusmodi purgantibus diſponi.

Scholion.

Et hoc nulla alia ratione fit, quam ob violentam ſpasmodicam contractionem, quæ accidit in ventriculo & inteſtinorum canali, hinc chylificationis opus labefactatur, chylus impurior ſeparatur & per conſequens ſanguis ſpiritusque vitioſo & morboſo charactere imbuuntur, id quod jam ſuo tempore obſervavit, *Cornel. Celſus*, dum damnat validas purgationes. *Lib. II. Cap.* 12.

§. VIII.

Corpora plethorica, quæ vaſa ſanguine diſtenta fovent ab uſu frequentiori purgantium vehementiorum, quibus ſibi præcavere ſtudent a morbis, maxime diſponuntur ad apoplexiam, & certiſſimum eſt, nihil facilius excitare in plethoricis apoplexiam, quam purgantia validiora. Hinc perpetua ſit regula & candidiſſimo notetur calculo, quod nunquam corporibus ſanguine & humo-

humoribus repletis, Vomitoria & cathartica ſint adhibenda.

Scholion.

Vaſis enim ſanguinis a purgante fortiter commotis & ſpasmodice conſtrictis, circulatio in univerſo corpore fit inordinatior & ſanguis ad cerebrum impetuoſe defertur, ibi facta congeſtione & ſtagnatione facili negotio vaſcula ſanguinea cerebri expanduntur & dilacerantur, ut hoc modo apoplexia lethalis ſequatur, qualia exempla triſtiſſima paſſim proſtant.

§. IX.

Ad paralyſin quoque purgantia draſtica præſervationis cauſa in corporibus ſanis adſumta diſponere praxis teſtatur exquiſitior.

Scholion.

Sic memini caſus, quem Halæ Saxonum in alma Fridericiana, cum ſtudiorum gratia adhuc ibidem verſarer, obſervare mihi obtigit, ubi fœmina quædam obeſiori habitu prædita ab uſu magiſterii jalappæ, quod ad grana tredecim ab empirico accepit, paralyſi totius dextri lateris cum obmuteſcentia correpta fuit, fortean nullam

aliam ob rationem, quam quod ſal vellicans & irritans purgantis ſpasmum fibrillis nervorum ſenſibilioribus induxerit, hincque ſerum peregrinum copioſe ad tubulos cerebri translatum obſtructiones & ſpasmum in contextu nervoſo medullaque ſpinali procreaverit.

§. X.

Ad acutos etiam morbos, uti ad febres inflammatorias, plevritidem, peripnevmoniam & febres malignas purgantia acriora viam pandunt, dum corpus depauperant humoribus fluxilioribus & feroſis, quorum tamen proportionata mixtio & debita circulatio ad conſervationem ſanitatis & præcautionem a morbis ſumme neceſſaria eſt.

Scholion.

Quemadmodum integer ſanitatis ſtatus a circulo ſanguinis & humorum regulari principaliter dependet: Sic e contrario generatio morborum inprimis malignorum & acutorum a circulatione irregulari & diminuta eſt deducenda. Cum vero purgantia ſanguinem fluida & ſeroſa parte valde defraudent, haud aliter poteſt contingere, quam ut viſcidiores & terreſtriores

ad

ad motum ſanguinis ineptæ particulæ debita quantitate ſeri liquidi deſtitutæ in ſubtiliſſimis corporis meatibus & canalibus anguſtiſſimis ſubſiſtant, hacque ratione obſtructio vaſorum & ſtagnatio, ſtaſis, imo corruptio humorum producatur, quæ fertiliſſimæ morborum cauſæ exiſtunt.

§. XI.

In morbis contagioſis purgantia fortiora adeo non præſervant corpora hominum, ſed potius miaſmati putrido via ſternitur hoc modo, ut eo citius ac promtius radices agere poſſit.

§. XII.

In variolis itaque, morbillis, febribus malignis, petechialibus, imo ipſis peſtilentialibus populariter graſſantibus, uti in peſte Maſſilienſi obſervatum fuit, nocentiſſima ſunt hujusmodi falſo commendata remedia præſervatoria, quæ ex purgantibus fortioribus conſtant & hinc ſano corpore gaudentibus angue pejus & cane fugienda.

Scholion.

Probanda potius ad præſervationem ſunt balſamica & leniora laxantia, ut deducta

clementer alvo pernitioſi humores ſecedant & alimentum miaſmati venenoſo detrahatur.

§. XIII.

Quodſi igitur purgantia fortiora ſcopo præſervandi adhibita in ſanis corporibus tanta incommoda parare poſſunt & diſpoſitionem ad certos morbos inducere: facile inde conſequitur, multo majorem noxam & offenſionem jam debilitata & ad morbum quendam diſpoſita ſubjecta ab eorum uſu fore perceptura.

Scholion.

Debilibus accenſemus infantes, pueros, ſenes, fœminas præſertim utero gerentes vel puerperio detentas itemque omnes, qui certo tempore maxime circa æquinoctia ex hæreditaria quadam diſpoſitione ad hunc vel illum morbum inclinant. Hi ſane omnes purgationibus fine præſervandi adhibitis inſigniter læduntur.

§. XIV.

Summopere errant ii, qui uterum ferentibus, ad incommoda, quæ ipſis tempore geſtationis imminent, præcavenda

venda & abortum declinandum propinant purgantia ex validiorum genere.

Scholion.

Etenim purgantia ſpasmos in inteſtinorum canali producentia uterum ratione connexionis propinquæ ſimili motu ſpaſtico & convulſivo in conſenſum rapiunt, unde facillima ratione eodem hoc medicamento, quo abortus præcautio intenditur, nempe purgante fortiori, abortus poteſt induci.

§. XV.

In puerperis præſervandis & in omnis generis uterinis morbis, quæ a reliquiis impuri ſanguinis lochialis ibidem ſtagnantibus & infarctis progenerari poſſunt, purgantia male adhibentur.

Scholion.

Optimo quidem inſtituto puerperæ purgari ſolent, præſertim ubi lochia non ſatis effluxerunt, ſed res hæc non draſticis pharmacis, ſed potius laxativo-balſamicis peragenda, eo quod facillime catharticorum acriorum uſu febris inflammatoria in ſanguine & humoribus ad motiones præternaturales admodum jam proclivibus ſuſcitari poteſt.

§. XVI.

Infantibus & in puerili ætate conſtitutis, itemque ſenio confectis neque curationis, neque præſervationis ſcopo purgantia fortiora ſale acri irritante conſtantia, ſunt propinanda.

Scholion.

Nam infantes & pueri ob teneram fibrillarum & membranarum inteſtinalium conſtitutionem nervorumque ſubtilitatem perquam facile non modo ad vehementes inteſtinorum cruciatus & alvi adſtrictiones, ſed & ad atrophiam & epilepticos motus diſponuntur: ſenum vero corpora humido radicali & nativo calore (ut cum veteribus loquar) ordinario deſtituta, non ulterius pabulo vitæ nempe ſanguine & humoribus defraudanda ſunt: ſenum enim flammula vitalis ad inſtar lucernæ parum jam alentis olei per purgantia ante terminum a Deo præſcriptum extingui ſolet.

§. XVII.

Uſus purgantium valde gracilibus & morbo extenuatis nullo non tempore maxime quoque perniciosſus eſt.

Scholion.

Hac de cauſa prudenter *Galenus Commentar.*

tar. in Libr. prorh. text. 37. pronuntiavit: indoctum eſſe illum & artis medicinalis plane inſcium, purgare qui ingrediatur debiles & imbecillitate affectos.

§. XVIII.

Omnes, qui ad malum nephriticum diſpoſitionem habent, maxime ſibi caveant a purgantibus fortioribus.

Scholion.

Praxi quotidiana fere edocemur, in malo nephritico & calculoſa diſpoſitione purgationem præſervandi cauſa inſtitutam, nihil aliud efficere, quam ut calculum moveat & recidivam longe acerbiorem ſuſcitet; ſiquidem purgantia fortiora ſale acri operantia materiæ peccanti majorem ſtimulum acrem ſalinum addunt & ſanguinem ac ſpiritus in motum inordinatiorem redigunt.

§. XIX.

In omni articulorum dolore inprimis in arthritide volatica bilioſa, podagra, dolore iſchiatico purgantia inſtructa ſale cauſtico corrodente plus damni, quam emolumenti cauſantur, neque ad præſervationem, neque ad mitigationem dolorum aliquid valent. Nam omnes

hi morbi a ſalibus acribus nervos irritantibus & ſpasmodice contrahentibus originem trahunt, purgantia vero acriora ſalia iſta tam in ſero, quam ſanguine hoſpitantia nullatenus corrigunt, educuntque, ſed potius acriora & penetrantiora reddunt.

Scholion.

Sic maxime notabile eſt, purgantia etiam leniſſima in vigore morbi plurimas excitare ſedes, paroxysmo vero declinante vix ullas. Adeo ſalia arthriticorum morboſa virtutem purgandi intendunt, uti mihi haud ita pridem obſervare contigit in Reverendo Paſtore Ottoburano, qui a ſumto leniori purgante plus quam viginti ſedes in principio morbi expertus eſt. Hoc loco quadrat maxime ſententia illa, quam *Thonerus* medicus quondam celebratiſſimus de purgantibus tulit. Is, ubi de pilulis antipodagricis Argentoratenſibus ex trochiſcis alhandal, diagridio & aloë roſata conſtantibus ferre judicium ſuum debebat, tali modo ſcripſit: olim perquam lepide Antonius Guevarra Caroli V. Imperatoris Confeſſionarius in epiſtola ad medicum Hiſpanum cum doloribus podagricis obno-

xius eſſet & a medico potio purgans offerretur, qua hepar & ventriculus inflammata fuere, hinc graviter in illum invectus maxima querela, quid cauſæ, quod hepar & ventriculus ceu partes innocentes mulctatæ, cum pedes potius caſtigandi fuiſſent: eadem mihi querimonia de pilulis illis, ne, dum earum beneficio intendimus præſervare a cruciatu, plus damni inferamus internis viſceribus e charybdi in ſcyllam incidentes. Idem judicium in genere de omnibus fortioribus purgantibus in quovis articulorum morbo ferendum.

§. XX.

Subjecta ad hæmorrhagias proclivia vix aliud conſequuntur ex cura præſervatoria vernali & autumnali tempore adhibita, quam ut ſanguinis motum & orgasmum citatiorem ac impetuoſiorem reddendo hæmorrhagias graviores & ſæpe periculoſas excitent, & apoplexiæ metui ſe objiciant.

§. XXI.

Graſſantibus morbis malignis ac putridis communis eſt conſuetudo, ut purgante adſumto homines ſibi firmiter perſuadeant, ſe jam eſſe immunes

ab omni contagio. At vero mirum decipiuntur cumprimis ii, qui corpora habent ad miaſma tale putridum & virulentum recipiendum apta & diſpoſita, qualia ſunt cachectica, cacochymica & phlegmatica, quæ ob tranſpirationem languidiorem per ſe jam proclivia ſunt ad contagium præ aliis promtius ſuſcipiendum. Hoc ſane hominum genus, dum ſe purgante iſtiusmodi a morbis putridis vult præſervare, eo ipſo in eosdem ruit, quia hac methodo craſis humorum & ſanguinis penitus deſtruitur.

CAPUT IV.

De Purgantium uſu in medicina providentiſſimo.

§. I.

QUemadmodum purgantia fortiora, virulentum, morbiferum ac lethalem ſubinde exerunt effectum, ſi promiſcue, intempeſtive, nec exquiſitiori circumſtantiarum habita ratione adhibentur: ita eadem recte, in tempore & ubi neceſſitas id poſtulat, in uſum vocata, divinum quandoque & plane heroicum exiſtunt remedium.

Scholion.

Scholion.

Jure meritoque purgantia referuntur inter medicamenta ſumme heroica, qualia audiunt opiata, narcotica, mercurialia & hujus generis alia, quippe quorum indoles ita eſt comparata, ut perverſa methodo & intempeſtive ordinata promtiſſima ſint ad nocendum, opportune vero uſurpata prorſus eximia certis in morbis juvandi facultate polleant.

§. II.

Fideliter itaque hoc loco communicabimus obſervationes & cautelas practicas, quas circa purgantium uſum partim ex maximopere conquiſitis noſtræ experientiæ floſculis decerpſimus, partim etiam ex ſolidiſſimorum medicorum fontibus ea qua potuit diligentia produximus.

§. III.

Circa fortiorum purgantium adminiſtrationem in genere probe conſideranda ſunt cumprimis ſubjecti ægrotantis, cui præbetur purgans, conſtitutio & habitus, deinde ipſius morbi, ex quo laborat, indoles & natura, tandem

etiam pharmaci purgantis, quod præſcribitur, forma & conditio.

§. IV.

Subjectum igitur, cui purgans cum effectu poteſt offerri, gaudere debet nervis adhuc valentibus & viſceribus labe corruptionis nondum infectis, inſuper quoque talismodi morbo detineatur neceſſe eſt, in quo, ut paulo poſt dicetur, purgantia maxime indicantur, & operationem edere poſſunt auſpicatiſſimam.

Scholion.

Abſtinendum itaque a purgantibus eſt in infantia & ſenio conſtitutis, tenerioribus ac ſenſibilioribus ſubjectis, atque iis præcipue, quæ morbo laborant per multos annos jam radicato, ubi viſcerum labes & corruptio jam præſens eſt inſignis, quales ſunt hypochondriaci, phthiſici, hectici & alii.

§. V.

Morbos quod attinet, ubi purgantia interdum conveniant, dicimus eſſe eos, qui ab humoribus ſumme impuris, crudis, viſcidis, pituitoſis, verminoſis, ſeroſis in corpore accumulatis foventur.

Scholion.

Scholion.

Patet jam facile ratio, quare in ſcabie, ulceribus mali moris, lue venerea, gonorrhœa, fluore albo, in mania quoque, in hydrope præſertim ea, quæ nullo antecedente morbo nata eſt, item in duritie ac inflatione ventris a nimia ingluvie orta, in verminoſa quoque colluvie, fluxionibus a capite & aliis ejusmodi affectionibus purgantia inſigni quandoque cum effectu a practicis uſurpata ſint, omnium enim horum morborum cauſa & contumacia, vel ab impactis cruditatibus & ſordibus varii generis in tunicis ventriculi & inteſtinorum hærentibus, vel a ſero copioſo hinc inde decumbente, vel ab impuritate ſanguinis & lymphæ maxima deducenda eſt. Notandum tamen ſemper eſt, purgationes ejusmodi tum demum plurimum commodi adferre in his morbis, quando ſubjectum ad eas ſuſcipiendas ac ſuſtinendas adhuc eſt aptum & habile, ut paulo ante innuimus. Antonius Gazion Philoſophus & medicus Patavinus, qui alias non admodum magnifice de purgantibus draſticis ſentit, contra vero lenientia tanquam benedictas medicinas extollit mirifice, purgantium tamen uſum non prorſus improbat, ſiquidem

dem in Libr. de evacuandi ratione Cap. IV. ita diſſerit: quandoque tamen purgantibus uti neceſſe eſt, ut cum oportuerit materias groſſas & difficiles in membris longinquis exiſtentes purgare, quod nequaquam benedictis cum medicinis fieri poſſet, eo quod ipſæ ad loca tam remota ſita cum virtute minime poſſunt pervenire, ut de lue venereâ infectis & ſcabioſis & hujusmodi eſt videre, quibus aut nihil aut parum profecto rhabarbarum, caſſia, manna & his ſimilia conferrent, ſed hermodactylis, turbith & aliis fortioribus indigent.

§. VI.

Non tantum vero ſubjecti ægrotantis ac morbi habenda eſt ratio in purgante exhibendo, ſed id quoque requiritur a medico prudenti, ut probe noſcat purgantium ipſorum diverſam indolem, diverſam correctionem & diverſam præſcribendi methodum.

Scholion.

Purgantium enim magnus eſt numerus & certe, ſi principium eorum operandi penitius inſpicias, multum una ſpecies ab altera ratione activitatis & virulentiæ differt. Quid quod non parum etiam ſapi-

entiæ reconditum ſit in recta purgantium etiam fortiſſimorum correctione. Neque etiam idem prorſus eſt, an purgans in forma pulveris ſicci, an in forma decocti aut alia exhibeam. Variat ſubinde operatio purgantium pro ratione correctionis & diverſitate formæ in qua præſcribuntur.

§. VII.

Omnium conſenſu grana tilli, ſemina cataputiæ, poma colocynthidos, elaterium, gummi guttæ, helleborus albus, ſcammonium, euphorbium virulentia cauſtica multum antecedunt mechoacannam albam, agaricum, gialappam, helleborum nigrum, unde etiam horum uſus longe uſitatior eſt practicis ſolidioris eruditionis, quam illorum longe acerrimorum.

Scholion.

Auſim ſane adſerere, nos facile aliis purgantibus, ſi mechoacannam albam, agaricum & helleborum nigrum excipiamus, omnino poſſe carere. Hæc enim non modo feliciſſime humores peccantes protrudunt ac educunt, ſed etiam maſſam ſanguineam venas ſubeundo inſimul, purificant, unde circulus ſanguinis ab eorum operatione aliquantum auctior obſervatur. Quod igitur

tur hiſce non poterit expediri memoratis in morbis, ab aliis quantumvis fortioribus meo quidem judicio fruſtra expectabitur.

§. VIII.

Mechoacanna gaudet principio reſinoſo acri, quo inteſtinorum membranas ſtimulando egregie educit aquas; neque ita debilitat, ut reliqua purgantia & quia fere ſapore ac odore caret, hinc optime quoque infantibus ac iis qui abhorrent a medicamentis, propinari poteſt.

Scholion.

Infantum præſtantiſſima medicina eſt mechoacanna, data vel in pulvere cum ſyrupo vel cocta in cereviſia cum ſaccharo: lac enim coagulatum in eorum ventriculo, unde clamores, tormina, vigiliæ infantum fiunt, ut & pituitam ex pectore egregie reſolvit ac educit, unde ſaburra educta ſubito infantes obdormiunt, quaſi anodynum ſumſiſſent. Magnopere hujus radicis uſum æſtimat *Gabelchoverus* practicus quondam in Suevia celeberrimus, unde in ſuis *Curationibus & Obſervationibus medicis Centur. I. Obſervat. XIII.* ita diſſerit: „*in morbis valde calidis* a mechoacanna abſtinen-

„ dum

„ dum eſt. Qui vero febribus ſpuriis aut „ compoſitis aut erraticis laborant iisque „ aliquot diebus detenti ſunt, in horum ſa- „ ne morborum anguſtiis nullum præſtan- „ tius medicamentum. Hæc enim radix „ humores bilioſos tam craſſos , quam „ tenues, pituitamque tam craſſam, quam „ tenuem purgat, ichores quoque ſangui- „ nis elicit ac evacuat: bilem præterea „ uſtam & quamcunque melancholiam „ educit, feliciſſime humores putridos ex- „ pellit, flatus reſolvit ac diſcutit, obſtru- „ ctiones viſcerum præſertim hepatis mi- „ rifice tollit , hinc ad morbum regium, „ hydropem, febres chronicas erraticas, „ rebelles, renum paſſiones, uterinas affe- „ ctiones, reſpirandi difficultates, dolores „ inteſtinorum, ſtomachi ardorem , ac dif- „ ficultatem urinæ , ſi originem habent ex „ pituita, flatulentia & humoribus craſſis, „ ſalutare eſt remedium. Tandem ad pu- „ rificanda membra omnia naturæ ab hu- „ moribus ſuperfluis pituitoſis potiſſimum „ & flatuoſis adprime convenit, cerebrum „ mundificat & cum eo nervos , humores „ in cerebri poroſitatibus infixos educit ab- „ ſumitque , ac ipſum cerebrum exſiccat „ & corroborat. Hac de cauſa hemicra-

„ niam

„ niam ſanat & quoscunque antiquos ca-
„ pitis morbos, ſicut eſt cephalæa, vertigo,
„ epilepſia, prohibetque quamcunque de-
„ ſtillationem etiam antiquam. Ad poda-
„ gram ceteroſque articulorum dolores ſa-
„ nandos (dummodo articuli jam debili-
„ tatem non contraxerint irreparabilem)
„ ſummum eſt adjumentum. Requiritur
„ vero, ut ſit recens hæc radix, quantum
„ fieri poteſt, non lignoſa & carioſa.

§. IX.

Agarici uſus inter purgantia præſertim in infuſo & decocto non eſt contemnendus, ſiquidem non tam vehementer, ut plura alia purgantia, operatur, ſed leniter viſcoſos humores incidit, eosque etiam ex remotis partibus educit.

Scholion.

Agaricum gaudet ſubtili ſale acri cum viſcidis partibus mixto & hinc, quoniam diutius moratur in inteſtinis, ejus virtus abit in chylum & ſanguinem, unde nutricibus ſi in cereviſia decoctum datur, alvum quoque infantum, reddit laxiorem & veteres agarico hanc ob rationem in omnibus capitis morbis a cauſa frigida non ſine ſuc-

ſucceſſu uſi fuerunt. *Democritus* auctore *Meſue* agaricum ſalutavit medicamentum familiæ propter ſecuritatem.

§. X.

Helleborus uterque tam albus quam niger apud antiquiſſimos medicos & præſertim Græcos maxime celebris fuit, unde hac occaſione, de helleborismo veterum quædam ſubjungere non injucundum ac plane inutile viſum fuit.

§. XI.

Eſt vero helleboriſmus veterum nihil aliud, quam curatio morborum per helleborum Hippocratis præſertim temporibus decantatiſſima & uſitatiſſima.

Scholion.

Notandum hoc loco, quod hujusmodi curæ maxime per helleborum album inſtitutæ fuerint & quod etiam per nomen helleborus nude & abſolute poſitum Hippocrates ſemper illum album intellexerit: nihilominus autem inſignis etiam honos helleboro nigro fuit habitus, qui copioſiſſime & optime apud Anticyranos & in aliis regionibus per Græciam provenit, ad quæ loca utplurimum confluxus fuit ægrorum, ut elleboriſmum ibi experirentur & ſic ab ægritudinibus ſuis liberarentur.

§. XII.

Sub varia vero forma exhibuerunt veteres helleborum, vel enim dabant in pulvere, vel ut celerius operaretur, cum ſemine ſeſamoide propinarunt: frequentius correctionis ſcopo ac fine addiderunt oxymeli ſive potionem ex melle, aceto & aqua mixtam: miſcuerunt quoque interdum ſemina carminativa odorata, v. g. ſemina dauci, ſeſeleos, cumini, aniſi & alia ſtomachica atque cordialia, item ſalem communem: vel decoxerunt cum lente ac juſculis atque etiam in ſucco ptiſanæ, alicæ aut lactis cremore præſcripſerunt aut cum aqua mulſa, aut pulte, aut quavis alia copioſa ſorbitione adſumere imperarunt.

Scholion.

Lector curioſus adeat hac de re & perluſtret *Hippocratis*, *Galeni*, *Æginetæ*, *Plinii*, *Dioſcoridis* & aliorum ex veteribus auctoribus monumenta, ubi hinc inde, quæ hujus adſertionis veritatem comprobant, colligi & reperiri poſſunt.

§. XIII.

Helleboriſmo utebantur priſci ævi me-

medici, cumprimis iis in morbis, ubi corpus ſcatebat melancholicis, atro-biliofis, pituitoſis, crudis ac ſeroſis humoribus.

Scholion.

Qua de cauſa paſſim in melancholia, inſania, mania, in levca vitiliginis ſpecie, morbo comitiali, cynico ſpasmo, in elephantiaſi, lepra, fluxionibus a capite, item in nimia repletione, in quartana, ut & ad ſtrumas digerendas, ad impura & vetera uteri ulcera, ad morbos pravæ conformationis & ſordida quævis ulcera feliciter extirpanda, in pleuritide infera aliisque hujus indolis morbis adhibuerunt & eximie commendarunt, uti apud *Celſum & Hippocratem* paſſim videri poteſt.

§. XIV.

Quæſtio jam maximi momenti dirimenda venit, an veterum hæc per helleborum curandi conſuetudo ſit penitus improbanda, nec a rationali medico unquam in ſimilibus caſibus in uſum trahenda? Noſtra ſententia hac in re eſt, conſultius quidem ejusmodi curam per helleborum album omitti, quia obſervationes practicæ ſufficientes de con-

venienti ejus adminiſtratione adhuc deſiderantur & multi auctores medici dira ſymptomata, imo ipſam mortem poſt ejus uſum inſecuta notarint, uti obſervavit *D. Joh. Jac. Wenceslai Dobrzensky a Negroponte in M. C. D. J. A. II. obſ. 182. it. Alexander Benivenius de abdit. cap. XV. it. cap. LII. Foreſt. Lib. XXX. Obſ. 9. Gabelchover. Cent. II. Obſ. 79.* Sed annon quandoque locum habere poſſit, ſi præſertim loco albi veratrum nigrum in uſum vocetur, & maxima cum cautione a ſubjectis robuſtioribus, qui recenſitis a morbis decumbunt & ubi alia leniora incaſſum jam adhibita ſunt, adſumatur, res eſt, quæ non prorſus improbanda videtur, ſi modo in doſi non fiat exceſſus & tali in forma adhibeatur, qua minus nocere poteſt. Nullus enim dubito, quin, ſi experimenta practica prudenti conſilio in contumaciſſimis talismodi affectionibus ab optimis quibusvis medicis quandoque inſtituerentur, magnum commodum inde percepturi eſſent deſperati ægri.

Scholion.

Optandum ſane foret, ut adhuc ſupereſſent

eſſent veterum ſcripta, in quibus de uſu tam albi, quam nigri veratri ſuas obſervationes practicas & cautelas orbi medico communicarunt, ſiquidem parum ad noſtra tempora pervenit, quod ad ſolidam ſcientiam de elleboriſmis veterum confert. Omnes cautelas vero, quæ hinc inde in fragmentis veterum potuerunt erui, eruditiſſime collegit in Hiſtoria medica verſatiſſimus Dn. Doct. Schulze Profeſſor Altdorff. in Diſſert. de elleboriſmis veterum, quo lectorem benevolum remittimus.

§. XV.

Accedimus ad gialappæ radicem atque exinde paratam reſinam, quæ itidem in ſubjectis ſegnioribus, ubi ventriculus robuſtus eſt ac fluxilium humorum copia præſumitur, optimo cum ſucceſſu præſcribitur, præſertim, ſi in forma pilulari exhibeatur.

Scholion.

Notandum vero eſt, quod reſina ante mixtionem cum aliis ingredientibus prius ſolvi debeat in ſpiritu vini rectificatiſſimo, aut cum amygdalis vel pineis bene contundi, alias difficulter dividitur & imparis operationis pilulæ exurgunt, quia reſina

ſolida adſumta non ubique æqualiter per pilularum maſſam diſpenſatur. Inſuper quoque probe attendendum, ne magiſterium gialappæ in vehiculo calido adſumatur, quia facile hoc modo rurſus coit & tunicis ventriculi ac inteſtinorum adhæreſcendo tormina & lancinationes enormes non ſine eroſionis metu efficit.

§. XVI.

Eſulæ & elaterii ſuccus ad aquas hydropicorum educendas mirum quantum ab auctoribus commendatur, an vero encomio reſpondeat effectus, id experientiæ cujusvis medici propriæ relinquo. Alias extractum eſulæ cum lacte correctum in vermibus alliciendis & enecandis magnæ efficaciæ deprehendi.

Scholion.

De eſulæ ſucco extracto & inſpiſſato conf. *Martinus Rulandus in Theſauro ſuo.* it. *Roſ. Lentilius in Miſcellaneis medico-practicis.* it. *Platerus in ſua Praxi medica.* De elaterii ſucco conf. inter alios plures *Martinus Liſterus in Tract. de morbis quibusdam chronicis*, ubi plures recenſet caſus eorum, qui ope elaterii perfecte a prædicto malo reſtituti ſunt.

§. XVII.

Hiſce diſcuſſis placet jam obſervatio-

nes

nes practicas & cautelas circa purgantium correctionem ſubjungere: ſiquidem veteres æque ac recentiores varios excogitarunt modos, quo purgantium vehementiam artificioſe infringendo operationem ſecuriorem inde experirentur, nec eſt dubitandum, quin potiſſimum arcanum circa eorum rectam adhibitionem in artificioſa nimiæ virulentiæ correctione contineatur.

§. XVIII.

Balſamica aromatica & carminativa purgantibus commixta eorum vim non parum infringunt, quia ſali acri purgantium, quod ſpasmis operationem ſuam neceſſario exequitur, vi ſua contraria antiſpasmodica aliquo modo reſiſtunt non tantum, ſed & flatus, qui a plerisque purgantibus concitantur, impediunt, diſcutiunt & ventriculi inteſtinorumque tonum roborant.

Scholion.

Tentarunt hoc veteres ſeminibus odoratis aniſi, cumini, ſeſeleos, dauci, item ſtomachicis, ut pipere, zingibere & aliis. Recentiores hiſce non inepte caſtoreata, ſuccinata, camphorata & ſimilia hunc in

finem addunt, quibus certiori adhuc affectu inflammationem avertunt graviorem.

§. XIX.

Manifeſtiorem vero adhuc effectum in purgantium acredine corrigenda exerunt aquea, incraſſantia & pinguia, quia horum facultas eſt, partim ſalia purgantium diluendi ac diſpergendi, partim etiam involvendi ac enervandi, ut minori tum acie inſtructa tantis ſpasmis infeſtare nequeant. Ratio hic facilis eſt redditu, ſiquidem memorata hæc remedia infortiſſimis venenis adſumtis ſolamen præſentiſſimum adferunt, tum reliquias ſalium cauſticorum involvendo, tum blande demulcendo inflammatas ventriculi tunicas & ſpasmos diſcutiendo.

Scholion.

Pertinent huc lac, cremor lactis, ſerum lactis, ſuccus ptiſanæ, puls, cibus ſumtus ante purgans propinatum, ſorbitio copioſa poſt pharmacum draſticum, juſcula lentis & carnis, quibus ſingulis jam uſi ſunt veteres ad avertendam noxam, quæ a vehementiori purgantium operatione corporibus adfricatur.

§. XX.

§. XX.

Acida, dulcia & opiata itidem virulentiam purgantium notabiliter enervant.

Scholion.

Apparet hinc ratio, quare *Hippocrates* & priſci medici helleborum ſæpius propinarint cum oxymeli, item aqua mulſa vel dulci vino. Eandem forte ob cauſam Liſterus in Tr. de morbis quibusdam chronicis ſuccum elaterii cum vino Hiſpanico in potionem redegit & propinavit laudabili cum effectu. Sic quoque non abſone a quibusdam purgantia cum ſyrupis edulcorata in ætate infantili ac puerili conſtitutis præſcribuntur, partim ut ob gratum ſaporem lubentius deglutiant, partim ut minori moleſtia conjunctam evacuationem experiantur. Quod pilulæ Starckii, licet pulvis & extractum hellebori nigri in ſatis magna quantitate eas ingrediatur, non tamen violentius corpus commoveant, id unice ab opiatis admixtis dependere exiſtimo.

§. XXI.

Sal commune, nitrum, ſalia neutra varii generis, uti eſt arcanum duplicatum, tartarus vitriolatus, ſal Epſonienſe,

ſe, tartarus nitratus, tartariſatus, terra foliata tartari purgantium refractæ doſi admixta ob vim ſuam blande ſtimulantem, qua lentos ac tenaces humores incidunt & reſolvunt, evacuationi mirifice velificantur & inſuper id commodi præſtant, ut absque moleſtioribus ſpasmis operatio purgantis medicinæ perficiatur.

§. XXII.

Lixivium ſalis tartari, item tinctura ſalis tartari gaudet quoque egregia virtute purgantium fortiorum vim draſticam corrigente.

Scholion.

Ita ope tincturæ tartari poma colocynthidos, gummi guttæ, helleborus exuunt vehementem ſuam purgandi vim, ut innoxie offerri poſſint. Idem fit cum lixivio tartari, ſi ſpecies dictæ in eo coquuntur.

§. XXIII.

Multum quoque contribuit ad feliciorem purgantium operationem, ſi doſis eligatur parva & mediocris rationi circumſtantiarum conveniens & apta quoque in forma exhibeantur.

§. XXIV.

Heroica ſane remedia, inter quæ purgantia non infimum locum ſuſtinent, magnam circumſpectionem ratione doſeos requirunt & melius eſt, peccare in defectu, quam exceſſu, ne ex tolerabilis adhuc ægritudinis ſcylla, in funeſtorum ſymptomatum charybdim miſeros ægrotantes inconſideranter præcipitemus.

§. XXV.

Raro pharmaca purgantia in ſubſtantia forma pulveris offerenda, tutius in decocto cum balſamicis ſpeciebus & ſalibus, vel aquoſo vel vinoſo, ſecuriſſime vero in forma pilulari cum extractis amaris & confortantibus reſinis ac gummatibus exhibentur.

§. XXVI.

Ultimo loco ſubnectemus obſervationes quasdam & cautelas, quas circa providam purgantium adminiſtrationem non ſine mediocri attentione in praxi noſtra congeſſimus.

§. XXVII.

Medicus prudens in exhibitione phar-

pharmaci purgantis maxime conſideret temperamenti conſtitutionem: nam cholerico & ſanguineo temperamento præditi non ſolummodo ordinario expeditiorem evacuationem per alvum habent, ſed & a medicamentis purgantibus celeriorem & faciliorem operationem ſentiunt: contra autem phlegmatici difficilius, difficillime vero melancholici & alvum ordinario apertam nanciſcuntur & purgantur, ut adeo exinde appareat, ſumma cum cautione & diverſo plane modo pro varietate temperamentorum purgationem eſſe inſtituendam.

§. XXVIII.

In naturis conſtitutionis ſiccioris & ubi alvus tardius officium ſuum peragit, purgantia ante vel poſt paſtum adſumta laudabilem quandoque exerunt efficaciam, ſed bene obſervandum, ne nimis ſæpe talia uſurpentur, alias chylus laudabilis una cum partibus excrementitiis e corpore educitur.

§. XXIX.

Longe facilius corpora diætæ vinoſæ addicta purgantur, quam quæ cereviſia utuntur.

§. XXX.

§. XXX.

Materia valde lenta & tenax aut ſanguini intimius commixta, qualis in iſchiatide, diuturnis artuum doloribus, cancro, vetuſta ſcabie & ejusmodi aliis morbis jure præſumitur, nequit unica vice educi, iterata vero purgatione expectatus effectus quandoque inde obſervatur.

§. XXXI.

Purgationem impedit glacialis aëris frigiditas, uti obſervavit *Riverius* in ſuis *Obſervat. Cap. III. Obſ. 17.*

§. XXXII.

Purgante exhibito alias ſatis forti & efficaci haud operante nequaquam fortius ingerendum eſt, potius tunc correctio humorum vitioſa qualitate imbutorum inſtituitur.

§. XXXIII.

Præparatio humorum non in ſubjectis omnibus neceſſaria eſt; nam ſi humor expurgandus fluidus exiſtit, ſi quis alimentis utitur humidis & in regione calidiori vivit, haud opus habet præparatione, quæ maxime requiritur, ubi

humo-

humores glutinoſi, acidi & auſteri præſentes ſunt.

§. XXXIV.

Æſtate calidiſſima non oportet dare medicamentum purgans, ſed præſtat tunc infuſis per clyſterem & aliis lenioribus uti.

Scholion.

Conſentit *Hippocrates aph. XV. S. IV.* ubi ait: in cane ſunt purgationes difficiles. Conſtat quoque experientia practica, corpora ſub cane valide purgata in febres acutas incidiſſe, imo brevi poſt vitam cum morte commutaſſe.

§. XXXV.

Sumto & jam jam operante medicamento purgante corpus minime quieti dandum, ſed potius motu temperatiori exercendum eſt: motu enim evacuatio optime ſecundatur.

§. XXXVI.

Purgatione vehementius operante corpus quieti placidæ tradendum eſt, ſicuti optime ſenex noſter *Hippocrates Aphor. XV. Sect. IV.* prodidit, quando ait: *ſomnum concilia, nec move corpus purgatio-*

ne fortius commovente. Quodſi vero ſola corporis ad quietem diſpoſitione hypercatharſis non vult ceſſare, tunc lac calide epotum, item ſerum lactis ad inflammationem arcendam & diaſcordium Fracaſtorii vel theriaca ad nimiam fluxionem cohibendam egregiam opem adferunt.

§. XXXVII.

In actu ipſo purgationis nihil perniciosius ſanitati eſt, quam potus frigide hauſtus & aër auſtrinus frigidus corpori improvide admiſſus.

Scholion.

Nota mihi ſunt exempla recentiſſima eorum, qui a potu frigido tunc temporis ingeſto & a frigore externo ſuſcepto hypercatharſes fere lethales excitarunt.

§. XXXVIII.

Ventriculi tono a purgantibus debilitato confortantibus ſtomachicis & balſamicis, vino præſertim cinnamomiſato naturæ ſuccurrendum.

§. XXXIX.

Finita purgatione nunquam alimenta difficilioris concoctionis in uſum ſunt trahen-

trahenda, ſed cibi evchymi & ſanguinem bonæ notæ generantes capiendi cum potu roborante.

CAPUT V.

De Laxantium utilitate & adplicatione prudenti.

§. I.

A Purgantibus digreſſionem facimus ad laxantia ſive ea remedia, quæ alvum absque violentia ſubducunt, quorum uſus in medicina ad morbos tum præcavendos, tum mitigandos ac ſolvendos eſt eximius & fere univerſalis.

Scholion.

Quoniam plurimorum morborum ſedes in primis viis, ſive magno illo inteſtinorum canali unicè quærenda: hinc evidentiſſime apparet, potiorem præſervationis æque ac curationis partem abſolvere lenitiva ejusmodi remedia, dum materiam peccantem ceu pabulum morbi præſcindunt atque per inferiora educunt, adeoque immediate cauſam, quæ ad motus præternaturales in corpore exuſcitandos idonea eſt, adoriuntur & amovent.

§. II.

§. II.

Laxantia longe purgantibus ſunt præferenda, leniter enim, blande & absque ulla corporis ſenſibili perturbatione operationem ſuam exerunt, neque tam copioſas ſedes cum ſpaſmodicis inteſtinorum vellicationibus junctas movent.

Scholion.

Deridenda ſane illorum hominum opinio eſt, qui laxantium uſum tantopere negligunt & ſibi ſtolide imaginantur, quando male habent & morbus imminet, non poſſe a ſordibus morbificis purgari corpus niſi fortiſſimis pharmacis adhibitis, quæ decies vel vigeſies aut ultra cum vehementi ſanguinis commotione per alvum operantur. Hi ſi ſcirent, quantum ſanitatis commodum ſub recto laxantium uſu deliteſceret, profecto dum malorum in corpore humorum charybdin effugere intendunt, uſu moleſtiſſimarum ſuarum medicinarum in periculoſam mille afflictionum Scyllam non inciderent.

§. III.

Prudentis itaque ac judicio practico pollentis medici eſt potius lenioribus laxantibus uti, quam fortioribus draſti-

cis, cum hæc propter virus, quod in ſinu ſuo fovent, periculo non vacent, illa vero uti omni virulenta qualitate exuta, ita naturæ noſtræ magis convenientia & amica in omni fere morborum genere juſta doſi & apto tempore exhibita absque ulla noxa adhiberi poſſunt.

Scholion.

Natura, quæ omnia agit ordine, ab omni ſaltu & vehementia abhorret, omne enim nimium naturæ bellum indicit. Præclare in hanc rem commendatur ſenex medicorum *Hippocrates aph.* 51. *Sect. II. Omne nimium naturæ inimicum, paulatim vero, quod fit, tutum.* Felicius per epicraſin & ſucceſſive eliminantur humores e corpore, quam uno impetu, quod nunquam ſine periculo eſt. Tutius enim eſt peccare in defectu, quam exceſſu & conſultius eſt minus, quam nimium facere in purgando.

§. IV.

In praxi medica illud maxime deſideratur, quod pauciſſimi reperiantur medici, qui indolem & virtutem laxativorum recte intelligant & pro diverſa circumſtantiarum ratione ea uſurpare ſciant.

Scholion.

Scholion.

Etenim exactiſſima diligentia temperamentum corporis, ſexus diſcrimen, ætatis ratio & roboris conditio attendenda, conſuetudinis quoque, temporis anni rerumque aliarum ſolers dimenſio facienda. Hæc enim omnia ad felicem curationis ſucceſſum mirum quantum contribuunt & à medico in arte perfecto exquiſita ſolertia penſitantur.

§. V.

Laxativorum ingens eſt numerus tam in regno vegetabili quam animali. Ex vegetantium claſſe huc referimus aloën, rhabarbarum, fol. ſenn. tamarindos, caſſiam fiſtularem, linum catharticum, ſemen carthami, ſpecies myrobalanorum, extracta herbarum amararum, mannam, turiones plantarum & arborum, flores perſicorum, acaciæ, violarum, radicem polypodii, olea quædam expreſſa, ut oleum amygdalarum dulcium & amararum, oleum olivarum, itemque pruna Damaſcena, paſſulas, vinum Moſellanum, poma Borsdorffiana. Ex regno vero animali in cenſum laxantium veniunt urina vacca-

rum, lac aſininum, ſerum lactis & alia.

Scholion.

Equidem in regno quoque minerali varia proſtant laxantia, quæ tamen hoc loco recenſere ſuperſedebimus, cum de harum indole & uſu in peculiari capite infra acturi fuerimus.

§. VI.

Hæ omnes recenſitæ laxantium ſpecies, ſi principium agendi internum conſideres, ratione operationis non parum differunt.

Scholion.

Quæcunque enim ſal volatile acre ſubtile particulis varii generis aliis vel terreis, vel mucilaginoſis, vel acidis, vel reſinoſo-gummeis, vel amaris balſamicis immerſum & involutum fovent, leniſſima fibrillarum inteſtinalium conſtrictione fæces & humores noxios ad inferiora detrudunt & ſedes aliquot movent, qualem operationem advertimus in rhabarbaro, aloë, tamarindis, manna & aliis ejuſdem generis. Quæ vero ſale volatili acri omnino carent & oleoſo tantum ac mucilaginoſo principio agunt, hac ſua oleoſitate pinguedine & lubricitate

inteſti-

inteſtina demulcent, fæces emolliunt & ſic dejectionem liberiorem ac faciliorem reddunt & tali modo operantur oleum amygdalarum dulcium & amararum, oleum olivarum, decoctum malvæ, altheæ, raparum exſiccatarum & hujusmodi virium multa alia. Poſtremo ſale neutro vel nitroſo aut acido imbuta agunt maxime humores incidendo & reſolvendo, qua operatione id efficitur, ut ſordes viſcidæ & tenaces, quæ ante horum uſum tunicis ventriculi & inteſtinorum firmiter adhæſerunt, hoc ſalino ſtimulo promte deferantur ad alvum & urinæ excretorium magno ægrotorum commodo. Hoc vero præſtant optime ſalia plantarum, urina vaccarum, lac aſininum, ſerum lactis & vinum Moſellanum.

§. VII.

Ut vero pleniorem de hiſce laxantibus & eorum utilitate hauriamus inſtructionem, non abs re fore judico, ſingulas horum ſpecies ſeparatim percurrere ac conſiderare. Primum vero locum ſibi vindicabit aloë, quæ eſt ſuccus condenſatus plantæ Aſiaticæ ſeu ſempervivi marini, pellucidus, friabilis, gummeo-reſinoſus, collectus ex diſſe-

diſſectis foliis & leniſſimo calore coagulatus. Hujus præparationem optime deſcribit *Rajus in Opere Botanico pag. 691.*

§. VIII.

Aloë vulgo diſtinguitur in ſoccotrinam, hepaticam & caballinam & differt una ſpecies ab altera ratione præparationis, puritatis ac virtutis.

Scholion.

Notandum hîc eſt, quod aloës folia ſucculenta grandia contundantur & exprimantur, isque ſuccus, qui leni compreſſione primum elicitur ac coagulatur, conſtituit aloën ſoccotrinam puriſſimam & ratione virium eminentiorem; qui vero fortiori compreſſione tranſit, dicitur aloë hepatica & ad ſoccotrinæ vires ac puritatem non accedit. Denique is ſuccus, qui ex remanentiis foliorum vi exprimitur, vilior aloë caballina audit & reliquis duabus ſpeciebus virtute ac puritate longe inferior eſt.

§. IX.

Aloës uſus in medicina eſt antiquiſſimus, ſiquidem *Galenus, Dioſcorides, Meſue, Serapio, Rhaſes, Avicenna, Celſus & alii* jam ejus mentionem faciunt, ejus-

ejuſque utilitatem inſigniter commendant.

Scholion.

Notum eſt medicamentum *Galeni* ex aloë præparatum, quod *Hieræ picræ* nomine venit & *Galenus* ipſe 7. *method. medend. & L. VI. de ſanit. tuend.* ad vitioſos humores ventriculo impactos eliciendos præſtantiſſimum adpellat. Ita *Meſue Lib. de ſimpl. purgant.* de aloë differit, quod ſit medicamentum de melioribus & ſublimioribus medicinis habens prærogativam ſupra alias medicinas ſitque aliarum medicinarum rectificator bonus: mixtus enim cum ipſis, & proprie cùm eis, quæ ſolutionem faciunt diſſolvendo medicinas ipſas rectificat & nocumenta earum removet.

§. X.

Nullum medicamentum eſt, quod in morbis chronicis præſertim ſic dictis frigidis & qui ab obſtructione viſcerum fiunt, ut cachexia, hydrope, ictero, malo hypochondriaco, cruditatibus ventriculi, colica, menſibus vel hæmorrhoidibus ſuppreſſis, in chloroſi ac omnibus ſtomachi morbis tantum encomium conſecutum eſt, quam ipſa aloë, eo quod non tantum feliciter purget cru-

dos, acidos & viſcidos humores, ſed & penetranti amaritie ſua obſtructiones viſcerum reſeret & bilis balſamum reſtituat, unde magnum eſt morborum chronicorum præſervativum.

Scholion.

Plures hac in re ſcriptores medicos eosque præſtantiſſimos habemus nobiſcum conſentientes, e quibus evolvi poſſunt cumprimis *Hippocrates aph.* 45. *Sect. V. Galenus Lib. VI. de ſanit. tuend. Theophr. Boneti Labyrinth. med. p.* 201. *Hieron. Mercurialis Conſil. Med.* 13. *Zacut. Luſit. Prax. Hiſt. Lib. I. Cap. VIII. Ægineta Lib. I. Cap.* 72. *Hor. Augen. Epiſt. Med. Tom. III. Lib. VIII. p.* 328. *Georg. Hieron. Velſch. Curat. & Conſil. Med. Dec. I. Cur. VI.*

§. XI.

Aloë eſt baſis Elixirii Proprietatis Paracelſi, pilularum aloëphanginarum, Francofurtenſium & aliarum ſic dictarum balſamicarum, quæ noſtro ævo maximi æſtimantur & egregii uſus ſunt in medicina ad morbos chronicos præſervandos & alvum apertam reddendam.

Scholion.

Scholion.

Circa compoſitionem pilularum aloeticarum notandum, quod longe tutius operentur, ſi parciorem aloes doſin eamque aliis extractis reſinoſis balſamicis & gummatibus commixtam adjiciamus, quia ſuccus aloes non tantum gummoſus, ſed & reſinoſus eſt eamque ob cauſam difficulter utplurimum ſolvitur & facile adhæreſcit inteſtinorum tunicis, quas perpetuo ſtimulo exercet earumque tonum plane lædit. Hoc vero incommodi optime evitari poteſt, ſi ejus ſubſtantia cum aliis ſpeciebus balſamicis miſceatur, ut hoc pacto disgregentur particulæ aloeticæ, ne tam facile rurſus coire in corpore queant.

§. XII.

Aloetica conveniunt maxime pituitoſis, phlegmaticis & victu duro craſſoque adſuetis, iis quoque, qui cereviſiæ potu delectantur: minus autem conducunt cholericis; ſanguineis, uterum gerentibus, & qui vinoſæ diætæ indulgent, ſi præſertim in largiori paulo doſi propinentur.

Scholion.

Experientia practica conſtat in ſubjectis

cholericis, ſanguineis & ad hæmorrhagias diſpoſitis, item in iis, qui iracundiæ & vinoſæ diætæ dediti ſunt, præpoſtero & immodico aloeticorum uſu facile ſanguinis profluxiones præſertim per ſedis venas proritatas fuiſſe. Hoc jam ſuo tempore obſervavit *Meſue & Antonius Muſa in exam. ſimpl.* Meſuæ opinionem confirmat, ſæpius expertum ſe eſſe adſerens aloen hæmorrhoides aperire. *Beza in vita Calvini* teſtatur, ipſum ex immodico aloeticarum pilularum uſu in hæmorrhoides ulceroſas & ſputum ſanguinis incidiſſe. Id quoque incommodi habent aloetica remedia, ſi præſertim liberaliori doſi memoratis ſubjectis commendentur, ut ob nimiam inteſtinorum ab iis relictam exſiccationem alvus poſteris diebus minus ſuo reſpondeat officio. Quare maxima cautela & prudentia medica pilulæ tam Francofurtenſes, quam Emanuelis, omniaque medicamenta, quorum compoſitionem largior aloes doſis ingreditur, in uſum ſunt ducenda.

§. XIII.

Aloe ante uſum ſolvi & leniori calore coqui debet, quo ſulphur illud peregrinum quodammodo exſpiret & vis purgans mitior evadat.

Scholion.

Scholion.

Idem voluerunt veteres medici, dum aloen lotam commendarunt, qui per lotionem nihil aliud intellexerunt, quam ſolutionem & leniorem inſpiſſationem, diuturniori enim ac fortiori coctione non parum virtutis purgantis amittit.

§. XIV.

Ab aloe progredimur ad rhabarbarum, quod eſt radix herbæ Orientalis & ex China ad nos adfertur: dicitur recepto epitheto Alexandrinum, quia olim ab urbe Alexandria Venetias fuit allatum. Creſcit quoque rhabarbarum in Ruſſia, quod tamen ab Orientali ratione virtutis multum differt.

§. XV.

Rhabarbarum Orientale alias Alexandrinum dictum eſt ponderoſum aureis ac rufis fibrillis interſtinctum, amaricantis ſaporis & ſolutum croceo colore tingit diutiusque conſervari poteſt absque virium inſigni jactura, hinc etiam pluris venditur & præ Moſcovitico in medicina æſtimatur: Ruſſicum enim eſt ponderoſius, coloris obſcurioris, ſaporis auſteri & magis acerbi, citius ſitum

con-

contrahit & cum tempore vires omnino deperdit.

§. XVI.

Rhabarbarum duplici gaudet agendi principio, uno laxante, quod conſiſtit in ſale ſubtili acri ſulphureo particulis mucilaginoſis immerſo, altero terreſtri adſtringente, unde rhabarbarum in ſubſtantia & adſtringente & purgante facultate pollet, quare in omnibus iis morbis, ubi evacuandum & ſimul conſtringendum eſt, uti in fluore albo, gonorrhœa, diarrhœa, dyſenteria, nimio menſium & hæmorrhoidum fluxu maximo cum effectu propinatur.

§. XVII.

Præterea rhabarbarum in omnibus affectibus bilioſis & obſtructionibus viſcerum præſertim hepatis, in ictericio quoque morbo eſt præſentiſſimum & fere ſpecificum remedium, non enim ſolummodo ſordes e corpore propellit & rurſus roborat partes, ſed & propter amaritiem balſamicam ſimul habet vim corrigentem, qua humores bilioſos, acres, ponticos & viſcidos reſolvit.

Scholion.

Scholion.

Ob tantas vires, quas rhabarbarum noſtrum laudabiliſſimum in obſtructionibus hepatis reſerandis & bile corrupta educenda præſtat non inconcinne philoſophorum ſui ævi princeps *Ariſtoteles* ad diſcipulum ſuum *Alexandrum* Macedoniæ Regem ſcribens, rhabarbarum hepatis vitam vocavit.

§. XVIII.

In verminoſa colluvie, hydrope, malo hypochondriaco & hyſterico egregium ſolamen adfert rhabarbarum.

Scholion.

Vermes enim propter amaritiem ſuam necat & vi ſua purgatrice ex inteſtinis propellit ac educit. Memini hydropicum quendam, qui continuo rhabarbari uſu ſanitati priſtinæ fuit redditus & ad ſeram ſenectutem deductus. In malo vero hypochondriaco & hyſterico, ubi cauſa primaria in infarctu & obſtructione viſcerum quærenda & ubi fæces plerumque exuſtæ ac induratæ ſunt cum alvo diutius clauſa non poteſt non magno quoque eſſe emolumento.

§. XIX.

Ut paucis multa dicamus, rhabarbarum eſt optimum remedium in omnibus morbis ſeroſis, bilioſis, &c, ubi alia purgantia locum non inveniunt, tutiſſime datur, nam infantibus, ſenibus, teneræ conſtitutionis ſubjectis; imo phthiſicis, gravidis & iracundia graviori abreptis ſine noxa offertur, blande enim ducit bilem aliasque ſordes in primis viis collectas.

Scholion.

Audiamus de rhabarbaro *Meſue* differentem, cujus encomia ita ſe habent: *rhabarbarum eſt ex medicinis benedictis & ſolennibus, in quo aggregantur multæ ex intentionibus, quæ quæruntur in re faciente mundificationem. Non eſt in eo nocumentum apparens & datur in omni tempore & in omni ætate, etiam pueris & prægnantibus. Solutione educit choleram & phlegma. Et major ejus proprietas eſt mundificare & confortare hepar & ſtomachum & conferre doloribus pungitivis eorum & viſcerum, & clarificare ſanguinem, & auferre opilationes & morbos, quorum mater eſt opilatio, ſicut hydropiſim, ictericiam & groſſitiem ſplenis & febres opilationum & ſimilia.*

lia. conf. quoque *Joh. Fernel. in Method. medend. L. V. Cap. IX. Joh. Rudolph. Camerar. Syllog. Memorabil. Med. Cent. VIII. part. 59. Joh. Baptiſt. Montan. Conſil. Med. 59. Georg. Wolffg. Wedel in Amœnit. Mater. Med. Lib. II. Sect. I. Cap. VI.*

§. XX.

Circa rhabarbari adminiſtrationem adhuc monendum, quod illud minus recte a quibusdam medicis decoquatur, quia hac ratione virtus laxans & purgans, quæ in ſale tenui volatili ſtimulante conſiſtit, penitus avolat & deperditur remanente nauſeoſo decocto, quod quidem multa tormina movet, nihil autem promovet. Longe itaque conſultius eſt, illud ipſum tantum calide infundere & ad inſtar thée ſorbere vel frigide cum vino vel aqua pluviali per viginti quatuor horas maceratum haurire.

§. XXI.

Folia ſennæ non infimum quoque inter laxantia obtinent locum. Creſcit vero ſenna arbor in Africa & Europa, unde illa folia, quæ ex Africa deportantur, Alexandrina vel Syriaca audiunt apud ſcriptores medicos, hæc vero, quæ

in Europa pronaſcuntur, Hiſpanica vel Gallica vocantur. Folia hæc pinnata ſunt & proxime accedunt ad ſimilitudinem foliorum glyzyrrhizæ; transmittuntur hodie ad nos utplurimum ex Gallia Narbonenſi, quia recentiores ſunt Orientalibus & eapropter majorem virtutem obtinent.

§. XXII.

Horum foliorum virtus maxime conſiſtit in ſale ſubtili acri laxante involuto particulis viſcidis mucilaginoſis, unde optime præſcribi ſolent in infuſo cum aliis herbis ceu infuſum theiforme, male vero in decocto ordinantur.

Scholion.

Quodſi folia hæc fortiori coctione tractantur principium illud ſubtilius laxans in auras avolat ſimulque mucilago ſolvitur & nonniſi decoctum nauſeoſum ad tormina proritanda magis, quam ad impuritates ſolvendas & educendas aptum relinquitur.

§. XXIII.

Folia ſennæ amaricantis ſunt ſaporis & magnam obtinent facultatem in humoribus ſeroſis, acribus, ſalſis & pituitoſis e ſanguine ac primis viis educendis,

cendis, hinc in omnibus morbis, qui a copia ejusmodi humorum originem trahunt, vel obſtructiones viſcerum pro cauſa agnoſcunt, opem præſtat non contemnendam, v. g. in morbo Gallico, ſcabie, lepra, melancholia aliisque adfectionibus. Ordinarie infuſis cum vino, quibus vere ad præſervationem uti ſolent, pro purgante adduntur hæc folia.

§. XXIV.

Obſervatione practica conſtat, folia ſennæ quandoque tormina ciere & flatus generare; hæc vero incommoda ut præcaveantur, optime illa ipſa miſcemus vel cum ſalibus incidentibus & reſolventibus, v. g. tartaro tartariſato, arcano duplicato, cremore tartari: vel cum ſpeciebus aromaticis & carminativis, uti eſt zingiber, aniſum, cinnamomum, tali ratione non ſolum vis purgans augetur, ſed & flatulentia torminoſa utplurimum præcavetur, ut minus moleſtare poſſit.

§. XXV.

Tamarindi ſunt ſiliquæ arboris Arabicæ & Ægyptiacæ, quæ poſt maturitatem in Sole exiccantur, poſtea vaſis im-

primuntur & ita ad nos transferuntur. vid. de hac arbore & fructu latius *Proſper Alpinus in Tract. de Plantis Ægypt. cap. X. Dioſcorid. Lib. I. cap. 125.*

§. XXVI.

Decoctum tamarindorum cum aqua in omnibus febribus ardentibus calore ac ſiti præternaturali ad bilis acrimoniam calidam mitigandam æſtumatiſſimum, ſiquidem eam non tantum attenuat & corrigit, ſed & leniter evacuat. Commodiſſime miſcetur cum manna & ſyrupo acetoſitatis citri, qua methodo fit julapium in bilioſis febribus gratiſſimum.

§. XXVII.

Speciatim quoque in ictero, ſcorbuto, variis cutis defœdationibus, in ſanguinis quoque fluxionibus & morbis a putredine ortis non mediocre levamen adferunt ob duplex eorum principium, unum ſalinum ſtimulans, cujus operatione humores bilioſi & ſeroſi leniter evacuantur, alterum acidulum, quod morbis a putredine eſt infeſtum & ſimul virtute vaſa ſanguiflua conſtringendi pollet.

Scholion.

Scholion.

Hujus rei veritatem confirmant quoque non pauci in re medica verſatiſſimi medici. Ita mihi notus eſt medicus haud incelebris, qui ſerum lactis cum tamarindis coquere ſolet & hoc decocto in ſcorbuto calido inſigni cum effectu utitur. *Maſſariæ* teſtimonio nihil datur, quod præſtantius ferat remedium in fluxu ſanguinis narium, uteri, quam horum tamarindorum uſus. *Mercurialis* adfirmat, miram quandam ad compeſcendam hæmorrhoidum fluxionem illos poſſidere efficaciam. *Mercatus Lib. VII. Tom. II.* ait: incredibili efficacia putredini & venenoſitati reſiſtere. conf. *quoque Heurn. Lib. II. Method. ad Prax. Cap. XI.*

§. XXVIII.

Cavendum vero eſt, ne tamarindinata propinentur iis, quorum ventriculus & prima regio acidis ponticis humoribus abundat, nam acidum adaugent in ejusmodi ſubjectis & nihil proficiunt.

Scholion.

Ita hypochondriaci & aliis morbis chronicis detenti, ubi acidum copioſius peccat, a tamarindinatorum uſu arceantur, nam

Meſues teſtimonio lædunt ſtomachum frigidum & debilitant.

§. XXIX.

Maxima cautela quoque videndum, ut eligantur tamarindi recentes, pingues & multis filis intertexti, acidi & paulo rufeſcentes, ſi intentioni noſtræ ſatisfieri volumus.

§. XXX.

Notandum denique, quod tamarindorum fructus Arabum diligentia ad poſteriores medicinæ cultores pervenerint. Nam priſca Græcorum & Latinorum medicina ad *Actuarium* usque horum uſum ignoravit.

§. XXXI.

Caſſia fiſtularis eſt ſiliqua oblonga, rotunda, cylindracea arboris Ægyptiacæ & creſcit in Alexandria coloris nigricantis, ſaporis ſubacris & ſubacidi, nauſeoſi. Vid. plenior deſcriptio in Tract. *Alpini de plantis Ægyptiacis.*

§. XXXII.

Fiſtulæ optimæ notæ ſunt ponderoſiores, recentes, pulpa pingui fœtæ, in quarum dorſo lineæ rufeſcentes conſpi-

cuæ ſunt. Hi ſi deſunt characteres, parum efficaciæ ab eorum uſu redundat.

§. XXXIII.

Pulpa Caſſiæ leniter laxat ob principium ibi reſidens dulce & ſubtili acredine temperatum, unde ad bilioſos & acidos humores educendos accommodatiſſima eſt & præ ceteris jam prolatis abſque ſingulari turba & calore id præſtat, cumprimis ſi recta methodo in uſum trahatur.

§. XXXIV.

Optima eſt caſſia in affectibus pectoris & morbis ſalinis arthriticis, item in calculo & ubi acidis ponticis humoribus primæ viæ ſcatent, uti in febribus catarrhalibus & quandoque in tertianis ſolida experientia practica id atteſtante. conf. *Rolfinc. de purgant. vegetab. Sect. III. Artic. II. cap. I. Phil. Grüling. Tract. 2. Med. Chym. de ſecund. univerſ. evacuant. generib. pag. 163. Riedlin. Lin. Med. Ann. I. p. 257.*

§. XXXV.

Notandum circa caſſiæ adminiſtrationem eſt, quod, ſi illa ipſa ſcopo la-

xandi præbenda eſt, majori paulo in copia vel ſola vel cum manna mixta recipi debeat, alias vel parum vel omnino non operatur. Id quoque diligenter attendendum, quod operatio melius ſuccedat, ſi ſalia media admiſceantur, præſertim tartarus tartariſatus: decoctum quoque caſſiæ non uno hauſtu, ſed ſucceſſive in corpus ingerendum & ne anxietates & vomitus inſequantur, potio calida ſuperbibenda.

§. XXXVI.

Recte vero a caſſiæ uſu abſtinent hypochondriaci, hyſterica paſſione laborantes & quicunque ventriculi imbecillitate laborant ac flatulentiis & colicæ paſſioni obnoxii ſunt: prægnantibus quoque uſum illius magnopere diſſuademus.

Scholion.

Quamvis *Actuarius* Caſſiam medicinam prægnantium vocet, non poſſumus tamen in illius ſententiam jurare, cum *Hieronymo Capivaccio* teſte in *Pract. Medic. Lib. VI. Cap. XVII.* nauſeam moveat & tormina cum flatibus excitet. Quare etiam *Georg. Wolfg. Wedelius in Tract. de medica-*

ment.

ment. facult. Lib. II. Sect. II. Cap. IV. caſſiam propter flatulentiam hyſtericis minus prodeſſe perhibet. Quodſi itaque hyſtericis non conducit, recte etiam ſtatuimus, prægnantibus ob fœtus molem in ventre infimo diſtentis non eſſe ſuadendam, quia flatus accedentes majorem ventris diſtenſionem & multa incommoda procurare poſſent. conf. in hanc rem *Joh. le Bon. in Therap. puerperar. pag.* 309. *Helid. de Padoan. in Cur. & Conſil. a Joh. Wittich. edit. pag.* 197. *& alii.*

§. XXXVII.

Linum catharticum quoque in claſſem laxantium jure refertur, hæc enim curioſa veteribus incognita planta radici Parreiræ Bravæ novo Americano calculi remedio famigeratiſſimo admixtum & inſtar thée propinatum tam obſtructionibus alvi, quam doloribus nephriticis egregiam medelam adfert. vid. Schediaſma Beati Lochneri Medici quondam celeberrimi Norimbergenſis de Parreira Brava.

Scholion.

Joachimus Camerarius celeberrimus ille Tubingenſium Hippocrates maximopere

æſtimat hujus plantæ virtutem & varia experimenta, ut certius de ipſius vi operandi edere poſſet judicium, cum hac herbula inſtituit, uti ex ejusdem *ſchediasmate vel corollario de lino cathartico videri* poteſt. Ejus ſane infuſum & quoque decoctum egregiam vim laxativam obtinet, neque eſt dubium, quin ſi practicis eſſet cognitum & in uſum frequentiorem pertraheretur iis in morbis, ubi laxativo remedio opus eſt, inſignem effectum ab eo expectare poſſemus.

§. XXXVIII.

Manna laxans benigniſſimum ex fraxini ramis æſtate ferventiſſima vel ſponte, quæ purior & majoris pretii habetur vel inciſione in corticem arboris facta, quæ impurior ac vilior eſt, exudat atque Solis calore in grana coaleſcit, quæ ex Calabria & Sicilia ad nos transmittuntur.

Scholion.

Magnum olim inter auctores de mannæ origine viguit diſſidium, dum alii illam pro rore cœleſti habebant, alii pro melle arborum ramis roſtellis apum adpoſito, & quæ ſunt plura ejusmodi figmenta a nobis

jam

jam non proferenda, quia temporis & mercaturæ ſolertioris beneficio ſatis jam cuivis curioſo rerum medicarum ſcrutatori conſtat, mannam nihil aliud eſſe, quam ſuccum arboris fraxini Solis calore concretum. Simile quid mannæ reconditum eſt in noſtris betulis, quarum ſuccus ſi tempore verno elicitur & evaporatur, mellago remanet ad inſtar mannæ dulciſſima.

§. XXXIX.

Optima manna eſt illa, quæ proſtat in lachrymis ſive granulis puris, ſiccis, cryſtallinis, coloris albi, ſaporis dulcis: hinc manna, quæ eſt in granis magis purgat, quam quæ proſtat in baculis.

§. XL.

Virtus ejus laxans & deterſiva debetur ſali volatili acri & ob dulcorem mellagineum ſimul etiam vim poſſidet acidos ponticos humores contemperandi, hinc optime præbetur iis, quorum primæ viæ ſcatent ejusmodi humoribus, v. g. melancholicis, catarrhoſis, infantibus, gravidis, item iis, qui pectoris affectibus detinentur.

§. XLI.

Cavere vero ſibi debent a manna omnes ii, quorum inteſtina flatibus turgida ſunt, hinc eſt, quod in praxi haud infrequenter liceat advertere, quod quandoque præſertim hyſtericæ & hypochondriaci ab ejus uſu male ſe habeant, nec commode ferre queant mannam.

§. XLII.

Mannæ virtus non facile minuitur, licet multos annos in thecis Pharmacopæorum delituerit, eſtque tutiſſimum purgans & laxans, quod in majori doſi ad uncias aliquot exhibitum copioſas ſedes facit, ſine ulla tamen ſanitatis offenſa & ventris incommodo.

§. XLIII.

Notandum adhuc circa mannæ uſum eſt, quod in dolore colico vehementiſſimo, ubi clyſteres ſine ullo levamine aliquot jam exhibiti fuerunt, ſola manna in oleo amygdalarum dulcium liquefacta omnem dolorem ac obſtructionem ſolvat.

§. XLIV.

Carthamus eſt planta, quæ in noſtris regio-

regionibus creſcit & pro tinctorio uſu copioſe hinc inde colitur, habet flores crocum fere æmulantes, quos ſequuntur ſemina anguloſa, oblonga, levia & pappoſa, quæ ſaporis ſunt primum ſubdulcis, poſtea nauſeabundi & ſub forma emulſionis data alvum movent ac ſeroſos humores educunt, imo oleum eorum recenter expreſſum ac illitum externe vires laxandi obtinet, unde horum ſeminum uſus ab auctoribus medicis in hydrope præſertim, ictero, arthritide & ſimilibus affectibus commendatur. vid. *Rolfinc. Lib. de purgant. facult. Sect. III. Art. I. Cap. I. Joh. Nicol. Pechlin. Exercit. de purg. medic. facult. pag. 39. Joh. Mich. in not. ad Schrœd. Pharmacop. pag. 700.*

§. XLV.

Myrobalani, qui vulgo in citrinos, chebulos, belliricos, emblicos & nigros vel Indos diſtinguuntur, adferuntur ex Ægypto & Syria & veteres cumprimis Arabici medici, uti *Rhaſis*, *Meſue* frequentiſſimo in uſu eos habuerunt, unde inter plerasque Compoſitiones laxantes & purgantes myrobalani ſunt rece-

pti. Sed, ut verum fateamur, parum virtutis in illis reſidet & in exiccatis potius adſtrictiva, quam laxans virtus deprehenditur, unde iis meliori effectu paſſulæ, pruna & ſimilia laxantia recte ſubſtituuntur.

§. XLVI.

Polypodii radix quoque inter laxantia benigniora locum habet, præſertim ea, quæ annoſis quercubus ac fagis adnaſcitur: ſapore gaudet dulci cum leni amaritie conjuncto. Veteres non ſine ratione frequentiſſime in decoctis uſi fuerunt hac radice iis in morbis, quos ab atra bile deduxerunt, videlicet in omni ſanguinis ac lymphæ impuritate.

Scholion.

Sane hæc radicula in melancholia, malo hypochondriaco, ſcorbuto, ſcabie, colica ab acredine nata & in morbis pectoris, uti in tuſſi & aſthmate non contemnendi eſt effectus, ſiquidem dulci ſuo mucilaginoſo & ſubacri principio non tantum fibras rigidas & exiccatas humectat, ſed & acidos ponticos ac viſcidos humores temperat & blande educit, præſertim ſi cum aliis laxantibus in forma decocti ordinatur.

§. XLVII.

§. XLVII.

Verno tempore qui prodeunt tenelli flores omnium ferme plantarum, facultatem poſſident, leniter alvum excitandi, id quod de floribus perſicorum, acaciæ, violarum, ſambuci cumprimis valet.

Scholion.

Illuſtriſſimam quandam Comitiſſam novimus, quæ ſingulis annis verno tempore ſumma cum evphoria loco curæ præſervativæ floribus modo memoratis ad inſtar infuſi theiformis utebatur. Sic quoque grata & tuta medicina ſolvens alvum patronis chocoladæ commendatur ab excellentiſſimo *Domino ab Hertoldt in medico ſuo evporiſto pag.* 67. nempe ſuaſor eſt illis, ut ſumant bolum caſtaneæ magnitudinis de conſerva florum perſicorum ſuperbibendo aquæ hauſtum & duabus poſtea horis conſuetum poculum chocoladæ ad uncias duas. Eadem conſerva vel etiam ſyrupus perſicorum utiliter adhibentur in vermibus infantum, in ictericâ paſſione & hydropiſi. Floribus item ſambuci nihil eſt præſtantius in ſero educendo & obſtructionibus viſcerum reſerandis, unde vulgari experimento ſco-

po

po alvum laxandi & ſanguinem purificandi flores ſambuci maſſæ farinaceæ intingunt & butyro frixos deglutiunt. Violarum flores in acetario appoſitas alvum ducere plus ſemel obſervavit *Joh. Nicol. Pechlin : de purg. medic. facult. Cap. IV. pag.* 51. Pulvis etiam violarum ſiccatarum ad drachmam unam exhibitus egregie purgat teſtibus *Pet. Poter. in Pharm. Spagyr. Lib. I. Sect. VI. Joh. Camerar. Hort. Med. pag.* 17.

§. XLVIII.

Turiones pini arboris primo vere collecti vi expultrice tam per urinam, quam per alvum pollent & in morbis ſcorbuticis effectum laudabilem mihi ſæpe præſtiterunt. Huc ſpectant quoque cymæ ſambuci, quarum efficacia in ſanguine purificando & humoribus ſuperfluis ac inutilibus evacuandis eximia eſt.

Scholion.

Circa ſambuci cymas monendum, quod eæ quandoque vomitus moveant & tormina ac hypercatharſin faciant in tenerioris conſtitutionis ſubjectis, ſi majori copia adſumantur. Hæc vero incommoda præverti optime poſſunt, ſi in aqua prius paulu-

lum decoctæ cum aceto, oleo olivarum & ſale communi loco acetarii in uſum vocentur.

§. XLIX.

Extracta herbarum amararum cum aqua vel ſpiritu vini adornata & eſſentificata eximiam identidem in laxanda alvo efficaciam produnt & bilis ſimul balſamum reſtituunt.

Scholion.

Præ ceteris huic intentioni ſatisfaciunt extractum trifol. fibrin. centaur. minor. abſinth. & eorum eſſentiæ. Maxime vero conferunt hujuscemodi eſſentiæ amaræ hypochondriacis, phthiſicis, ſcorbuticis atque omnibus iis ſubjectis, ubi ob acidum prædominans bilis iners fit & flatuum copia gignitur.

§. L.

In claſſem leniſſimorum laxantium jure quoque referri merentur Pilulæ balſamicæ noſtræ compoſitionis, quas balſamicas eam ob cauſam vocamus, quia conſtant ex ſpeciebus mere balſamicis noſtrique corporis naturæ valde amicis, quæ ſanguinis depurationi, inteſtinorum & viſcerum robori, ſordiumque e pri-

e primis viis blandæ evacuationi ſunt dicatæ.

§. LI.

Purgantium draſticorum ea eſt indoles, ut præter alia ſali cuidam cauſtico, virulento, lancinanti debita ſymptomata non ſolum tormina & dolores in ventriculo ac inteſtinis concitent, ſed etiam pulſum in arteriis mirifice adaugeant febremque quaſi inducant, qua ratione maxima corpori accidit infirmitas, uti ſuperiùs pluribus demonſtratum fuit. Hæc vero cuncta incommoda à noſtris pilulis non ſunt expectanda, leniſſime enim operationem ſuam exequuntur. Quapropter cujuscunque temperamenti ſubjectis, omni etiam ætati & ſexui, cunctisque iis in morbis, ubi aliquid evacuandum eſt, tutiſſime & maximo cum effectu exhibentur.

§. LII.

Speciatim vero accommodatæ ſunt temperamento melancholicis & phlegmaticis, quippe quorum alvus à natura ſegnior eſt & ſtimulo artificiali potiſſimum opus habet. Conveniunt inprimis ſexui fœminino, itemque omnibus debili-

debilitatis, ſedentariæ, literatæ atque delicatiori vitæ deditis hominibus.

§. LIII.

Effectum ſingularem præſtant in plurimis morbis chronicis, ubi viſcera amurca lenta, viſcida & tenaci ſunt obſeſſa ac tonus motusque ventriculi & inteſtinorum periſtalticus eſt debilitatus, ſiquidem ob balſamicas cum lenioribus laxantibus & purgantibus commixtas ſpecies non ſolum balſamum ſanguinis reſtituunt & obſtructiones auferunt, ſed & in primis viis impuritates ſalſo-acres, bilioſas, pituitoſas & viſcidas latentes & fixius hærentes reſolvunt atque leniter educunt.

§. LIV.

Cumprimis autem prædictam ob rationem opem ferunt exoptatiſſimam in diſpoſitione ad cachexiam, hydropem, icterum, in ventriculi & inteſtinorum inflatione & colica flatulenta.

§. LV.

Pariter quoque non contemnendum præbent effectum in principio diarrhoeæ ac dyſenteriæ, quippe ea harum fluxionum eſt natura atque conditio,

 ut

ut prius educta bilioſa, acri, erodente materia, quam tunicas inteſtinorum valde ſenſibiles altius inflammaverit, protinus mitigentur & pauco temporis intervallo, præſertim ſi alia indicata remedia jungantur, plane cohibeantur.

§. LVI.

Notatu maxime digna eſt illa obſervatio, quam experientia crebriori habemus confirmatam, qua edocemur, pilulas haſce non modo ſanguinis fluxiones v. g. menſium, hæmorrhoidum, lochiorum, ſi minus recte procedunt, & imminutæ ſunt, optimo cum ſucceſſu revocare, ſed etiam eas, ſi immoderatius fiunt, multum cohibere, moderari & in ordinem redigere. Rationem hujus effectus ſingularis non è longinquo petendam eſſe arbitror, ſiquidem & nimiæ & imminutæ hæ fluxiones inæquali ſanguinis circulo originem debent, cum vero hæ noſtræ pilulæ ob balſamicam & antiſpasmodicam, qua excellunt, virtutem, eximia polleant circulum ſanguinis in ordinem revocandi facultate, hinc facile apparet hujus tam ſingularis effectus ratio.

§. LVII.

§. LVII.

Præterea in malo ſic dicto hypochondriaco ſpaſmis dolorificis valde moleſto, literatis & in ſtatu Eccleſiaſtico conſtitutis hominibus perquam familiari ob vitam maxime ſedentariam & meditationes profundas & nimium abſtractas egregio ſunt ſolamini, ſi nocturno tempore debita in doſi degluciantur adjuncto ſimul ſalis noſtri aperitivi decenti uſu. Eundem effectum exerunt in malo hyſterico fœminarum, ſiquidem hoc genus hominum fere ſemper alvi eſt adſtrictioris & inde maximam percipit ſymptomatum exacerbationem, alvo vero ope harum pilularum blande recluſa ſtatim melius habet, experientia quotidiana id comprobante.

§. LVIII.

Quin imo in morbis ab impuritate ſanguinis à lymphæ & glandularum vitio oriundis, quales ſunt lues venerea, gonorrhœa benigna vel maligna, ſive ſeri vel puris ex urethra profluvium, ſcorbutus, ſcabies, earum uſus longe præferendus cunctis tantopere laudatis atque ex draſticis purgantibus para-

tis Compoſitionibus, univerſam enim ſanguinis & ſeri maſſam depurant & absque incommodo operantur, præſertim ſi in maligniori ſtatu conveniens mercurii dulcis portio iis immiſceatur earumque uſus frequentius repetatur.

§. LIX.

Inſuper non ſemel ſed aliquoties experti ſumus, paroxyſmos febrium intermittentium præſertim tertianæ ab illarum uſu bis vel ter repetito cum ſalis aperitivi juſta doſi penitus conquieviſſe, nec facile rediiſſe. Imo certò adſeverare poſſumus, ſpecifica ſic dicta remedia antifebrilia nunquam tutius offerri, ac ſi præmiſſis aliquoties hiſce duobus medicamentis curatio inſtituatur & tum demum ea, quæ paroxyſmos febriles auferunt, prudenter ſubjungantur. Quid quod in emendandis iis incommodis, quæ ab imprudenti per chinam chinæ harum febrium ſuppreſſione corporibus humanis ſæpenumero accidunt, iis ipſis nulla medicina ſit accommodatior, nam fomitem febrilem adhuc latitantem ſucceſſive educunt, tonumque ac robur ventriculi & inteſtino-

ſtinorum optime reſtituunt languoremque hoc modo toti corpori paulatim demunt.

§. LX.

Denique in febribus acutis cujuscunque generis circa tempus declinationis recte offeruntur ad impediendam recidivam vel incommoda illa præcavenda, quæ quandoque has febres excipiunt. Tempore enim motus febrilis, ubi alvus ob ſpasmorum ferociam perpetuo eſt occluſa, multæ circa primas vias colliguntur impuritates, quas ut removeat & è corpore releget medicus neceſſe eſt, ne anſa præbeatur lentæ febri vel diu adfligentibus chronicis malis.

§. LXI.

Non vero tantum curationi magnorum malorum inſerviunt egregie, ſed etiam ad ſanitatem conſervandam & ad morbos corpori imminentes avertendos plurimum conferunt. Ita graſſantibus contagioſis febribus, præſertim malignis, petechialibus, variolis, morbillis, purpuraceis nullum datur ſecurius laxans & materiam peccantem & infenſam evacuans pilu-

his iſtis remedium, unde medicinæ præſervatoriæ optime laudem merito ſuſtinent.

§. LXII.

Cura præſervatoria ſolennis verno & autumnali tempore beneficio harum pilularum optimè inſtituitur. Sumi vero debent per octo vel etiam quatuordecim dies, & noctu quidem ante ſomnum novem, matutinis vero horis ſeptendecim, usque ad viginti. Uſus rectiſſime interpolatur cum ſale aperitivo viſcerali noſtræ præparationis, cumprimis in iis ſubjectis, ubi materia peccans morbifica profundius parietibus ventriculi ac inteſtinorum infixa hæret. Hac methodo idem fere effectus, qui ab aquis medicatis naturalibus vel vinis medicinalibus expectari poteſt cum minori ſumtuum jactura obtinebitur.

§. LXIII.

Extra tempus vernale & autumnale ad præſervationem ſingulis menſibus bis aut ter adhiberi poſſunt noctu ante lecti ingreſſum & mane hora ſexta vel ſeptima. Quod ſi vero quis ſegnioris eſt alvi a longo jam tempore, is optime ſibi

ſibi conſulet, ſi earum uſum ſingulis ſeptimanis bis continuat non neglecta diæta accommoda.

§. LXIV.

Doſis ad ætatem dimetienda eſt. Nos conſuevimus ut plurimum infantibus & pueris præſcribere numero quinque usque ad novem, in provectiori vero ætate conſtitutis doſin ad viginti quoque pilulas extendimus.

§. LXV.

Circa diætam monendum, quod ſub harum pilularum uſu omnes acidi, nimium ſaliti, acres, concoctu difficiles, flatulenti & aromatibus calidioribus immodice conditi cibi, ut & lacticinia recte evitentur. Abſtinendum quoque a potu quovis ſpirituoſiori, ut ſpiritu vini, frumenti, vino generoſiori & cereviſia nimis lupulata ſanguinem & humores commovente. Contra ſuademus cibos bonæ notæ chylum & ſanguinem laudabilem ſuggerentes, cereviſiam tenuem vel vinum aqua pura dilutum. Denique animi tranquillitati ſummopere ſtudendum. Hiſce regulis diæteticis adhuc quædam cautelæ,

quæ circa uſum harum pilularum obſervari debent, addendæ ſunt; nempe uſus laudatarum pilularum, quamvis in prædictis affectibus egregius ſit, attamen in phthiſi, hectica, Peripneumonia, pleuritide, hæmoptiſi, vomitu & mictu cruento, in dyſenteria incrementum jam ſumta, minimè commendatur, ſed ſatius eſt, ab illorum uſu in dictis morbis penitùs abſtinere.

§. LXVI.

Nec minus Elixirium Balſamico-viſcerale, meæ compoſitionis egregiâ pollet virtute tàm obſtructiones viſcerum deobſtruente quàm excretoria leniter ſtimulante, illudque per vinginti jam annos in praxi meâ, in curatione morborum chronicorum optimi effectûs, deprehendi.

Scholion.

Nam Elixirium hoc eſt medicamentum balſamicum, temperatiſſimum, blandam ſanguinis, chyli, & humorum ſpirituaſcentiam promovens, obſtructiones glandularum meſenterii, lienis, hepatis, reſerans, acidum præternaturale, & bilem acriorem corrigens, & blandè è corpore educens,

putre-

putredinem arcens: Egregium ſtomachicum, carminativum, nervinum & præſervativum optimum à morbis chronicis eſt, quod in affectu ſive malo hypochondriaco, ſcorbuto, cachexiâ, debilitate ventriculi, inteſtinorum & in tollendâ omnium viſcerum obſtructione, inſignes imò non raro mirandos edit effectus, præſertim ſi ejus uſus continuetur per aliquot menſes. Commodè ejus uſus inſtituitur aut paulò ante aut ſtatim poſt cibos aſſumtos, hâc enim ratione medicamentum hoc chylificationem promovet, chylum balſamicâ ſuâ virtute condit, & blandè ſpirituoſum ſanguinem reddit. Hincque Geneſis omnium ſupra dictorum morborum, utpote originem & ortum ventriculo & viſcerum obſtructionibus debentium, impeditur. Veriſſimus enim canon medicus eſt; Qualis cibus & ventriculi conſtitutio, talis chylus, qualis chylus, talis ſanguis & lympha, qualis lympha & ſanguis, tales ſunt ſpiritus, & quales ſpiritus, talis vita & ſanitas. Doſis hujus medicamenti eſt à guttis xx. ad xxx. Vehiculum poteſt eſſe Cochlear vini vel cereviſiæ.

§. LXVII.

Oleoſa, ut oleum amygdalarum,

olivarum, quia inteſtina lubricant & demulcent & hac ſua operatione fecum excluſionem adjuvant, recte etiam inter mitiſſima laxantia locum ſibi vindicant & meretur de iis dici, quod ſint medicamentum ad multa efficaciſſimum, præſertim vero in alvo conſtipata tutiſſimum & probatiſſimum.

§. LXVIII.

Pruna quoque Damaſcena, paſſulæ, poma Borſtorffiana in ſiccitate alvi ſubjectis præſertim melancholicis & cholericis nullo non tempore conveniunt, eorumque brodium omnibus in morbis tam chronicis, quam acutis acceptiſſimum eſt, ſecuriſſimum ac vulgatiſſimum.

§. LXIX.

Ex regno vegetabili reſtat adhuc commemorandum nobiliſſimum quoddam & absque dubio omnibus gratiſſimum laxans, nempe vinum Moſellanum, quo ditiores loco medicinæ laxantis ſummo cum effectu verno & autumnali tempore uti poſſunt: nam methodo *Frid. Hoffmanni celeberrimi Archiatri & Conſiliarii Boruſſici* potum & uſurpatum

tum non ſolummodo per diureſin operatur, ſed & altero die alvum adaperiendo ſtabulantes in corpore impuritates egregie educit.

Scholion.

Eapropter nulli dubitamus, quin in ventriculi imbecillitate, tumore & infarctu hepatis lienisque, in arthritide frigida, catarrhis frigidis, in omni demum virium debilitate effectum maximum vinum Moſellanum exerat.

§. LXX.

Cauſas phyſicas vero effectus hujus adaperientis & laxantis ſi indagare nobis animus eſt, nullas alias invenire licet, quam quod vina Rhenana cumprimis Moſellana abundent ſale non tam tartareo, quam potius nitroſo calcareo, ob quam rationem virtute univerſali aperiente gaudent.

Scholion.

Ante octodecim circiter annos Illuſtriſſimo Libero Baroni de Ratzenhauſen legato tunc temporis a Sereniſſimo Duce Würtembergico miſſo ad Potentiſſimam Reginam Angliæ & Status Generales maxime ſpectabili, cujus comitatui ex ſingulari gra-

tia

tia mihi intereſſe licuit, curioſe, ut eximius amator ſtudii phyſici erat, de natura & conſtitutione ſoli (in quo vinum Moſellanum alitur) quærenti, incolæ iſtius regionis apte reſponderunt, quod terra iſta, ubi vitis colitur Moſellana, valde ſit fœcunda ſale nitroſo tartareo, hoc percepto nullus dubitavi Illuſtriſſimo legato ſubmiſſe demonſtrare, ſal illud nitroſum tartareum eſſe in cauſa, quod vina hæc virtute & diureſin excitandi & alvum ſatis largiter aperiendi gaudeant, nec facile inebrient inque temperamentis cholericis & morbis a calida cauſa productis, æſtate quoque meliori ratione, quam alia vinorum genera ferri queant; quas meas rationes conſenſu ſuo erudito legatus hic virtutibus & literatura elegantiore ſplendidiſſimus corroborare ſuſtinuit.

§. LXXI.

Diſcuſſis itaque iis laxantibus, quæ ex vegitabilium claſſe depromi poſſunt, jam ad ea progredimur, quæ in regno animali proſtant, ubi nobis conſiderandа occurrunt, urina vaccarum, lac aſininum, lactis ſerum & ſic dictum ſaccharum medicamentoſum.

§. LXXII.

Quod attinet urinam vaccarum, notum eſt, in Gallia hoc tempore quoddam genus medicationis maxime celebre eſſe, nempe vilioris ſortis homines & ex ditioribus ii, qui ſanitatis obtinendæ ſtudio nihil non tentant, loco thermarum & acidularum urina vaccarum, quam l'eau de mille fleurs adpellant, menſe Majo, ubi herbis ſalubribus veſcuntur vaccæ, utuntur & quidem per quadrantem horæ ſemper quartam menſuræ partem bis vel ter avide hauriunt inſuper bibendo juſculum & corpori motum imperando. Qui vero a meracæ urinæ potu abhorrent, loco illius conſumunt ſal amarum alcalinum, quod per evaporationem ex urina paratur & eadem methodo in aqua pura ſolutum uſurpant. Cura hæc in rhevmatiſmo, in arthritide frigida, podagra, hydrope, dolore iſchiadico, aſthmate humoroſo & aliis multis morbis a medicis Gallis maxime celebratur & ab ægrotis ad decem & ultra dies continuatur.

Scholion.

Hoc ſane remedii genus, quamvis plurimorum palato non arrideat, eſt tamen in ſe & ſua natura tantæ ad chronicos rebelles morbos ſubigendos virtutis, ut vix ulla medicina poſſit cum hac ipſa comparari.

§. LXXIII.

Effectus catharticus hujus urinæ non aliunde deducendus, quam a ſale amaricante & alcalino, quod ad ſalis ex vegetabilium incineratione collecti naturam proxime accedit.

Scholion.

Quodſi urina hæc cum acido ſpiritu commiſcetur, efferveſcentia ſtatim exurgit, manifeſto indicio, ſal alcali in ſinu ſuo fovere urinam. Quando porro hæc urina lege artis chymica evaporatur, accipimus primo ſal amarum, quod ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolutum largitur tincturam amaram acrem, reliquum ſal vegetabilis naturam habet & in cryſtallos puriſſimos reduci poteſt.

§. LXXIV.

Maxima vero cautela obſervare debent ii, qui aquam iſtam mille florum

potant,

potant, ut ante ejus uſum prius corpus a ſaburra binioſa impura mediante laxante medicamento liberent, ne, dum evacuationem per inferiora expectent, vomitorium effectum per ſuperiora experiantur.

§. LXXV.

Non facile committendum, ut æſtate ferventiſſima inſtituatur hæc cura, ſiquidem praxi attenta compertum habent medici Galli, omnes fere male ſe habuiſſe, qui æſtate calidiſſima & regnante Syrio uſi fuerunt hoc potu.

§. LXXVI.

Temperamentorum quoque ratio habenda, uti in aliis quibusvis medicationum generibus, ita etiam in hac polychreſta per urinam vaccarum curandi methodo, ſiccioribus enim & ſanguineæ naturæ ſubjectis rarius convenit harum aquarum uſus, phlegmatici vero & humoribus varii generis repleti effectum laudabilem ut plurimum inde expectare poſſunt.

§. LXXVII.

Lac aſininum propter ſerum nitroſum abſtergente & laxante virtute eſt imbu-

imbutum ac in phthiſi, tabe, obſtructionibus viſcerum, febre hectica, podagra, arthritide non ſine ſingulari effectu adhibetur, quia præter laxativam virtutem ſimul inſigni acres humores edulcorandi facultate pollet.

Scholion.

De lactis aſinini uſu jam *Hippocrates de victu acut. pag.* 44. mentionem injicit. *Plinius Lib. XXVIII. Cap. IX.* commemorat, quod plurimi aſinini lactis uſu a morbo articulari fuerint liberati. Quid quod *Cornelius Celſus Lib. IV. Cap. XXIV. & Sachſius in Miſcell. Curioſ. Nat. Dec. I. Ann. I. Obſ.* 141. ac plures alii exempla non pauca recenſeant eorum, qui ſolo lactis præſertim aſinini uſu curati fuerunt.

§. LXXVIII.

Serum lactis & vaccini & caprilli inſigni quoque deterſiva virtute gaudet & ſimul urinarias atque alvinas vias expurgat inque morbis bilioſis & ſcorbuto ſic dicto calido egregium prodit effectum. Idem judicium ferendum de remedio iſto tantopere celebrato, quod ſacchari lactis nomine inſignitur & ex lacte quoque præparatur.

§. LXXIX.

§. LXXIX.

Hiſce expoſitis placet ad quæſtionem, quæ inter medicos nonnullos fovetur, videlicet, quod laxantia dentur ſpecifica, quæ humorem peccantem in certa parte corporis latitantem occulta quadam vi attrahant & e corpore projiciant, ea qua decet moderatione reſpondere. Noſtra vero hac in re eſt ſententia, purgantium æque ac laxantium operationem fieri mechanice, nec locum ullum eſſe concedendum qualitatibus occulto quodam modo operantibus; interim tamen nullatenus poterit vocari in dubium, quod inter remedia laxantia magna intercedat differentia, & pro hac differentia etiam in his vel illis morbis recte fiat eorum exquiſita & quaſi ſpecifica electio.

Scholion.

Quemadmodum morborum genera in tres claſſes diſpeſcuntur, nempe in febres, ſpasmos & atoniam: ita cuivis ex hac claſſe peculiaria laxantia magis accommodata eſſe non ſine ratione ſtatuimus. In febrili exæſtuatione omne fere punctum ferunt tamarindi, quia non tantum laxativum

vum effectum edunt, ſed propter gratum acorem inſimul ſitim ſedant & nimium æſtum extinguunt acrem utplurimum & volatilem bilem effrenando. Ubi vero inteſtinorum & viſcerum atonia præſens eſt, uti in morbis chronicis, v. g. cachexia, malo hypochondriaco, flatulentiis & aliis ejusmodi afflictionibus, ibi rhabarbarum & aloëtica ob amaritiem ſuam balſamicam peculiarem opem ferunt; Non contemnendum quoque effectum exerunt in tabe, hectica, phthiſi & ſimilibus morbis, ubi univerſalis adeſt corporis atonia & natura fere deſtructa eſt, lac aſininum, ſerum lactis, & ejusmodi alia benigniora. Quando vero ſpasmodicæ inteſtinorum conſtrictiones morbum faciunt, uti fit in paroxyſmis chronicarum perinde ac acutarum adfectionum: tunc ſoluta manna & caſſiæ extractum, paſſulæ ac pruna Damaſcena optimum auxilium præſtant. Eadem quoque laxantia recte adhibentur, ſi ejusmodi in caſibus prima regio acidis humoribus ac ſordibus referta eſt.

§. LXXX.

Ultimo loco non incongruum erit meminiſſe vulgaris erroris, qui circa laxantium uſum laudatiſſimum ut plurimum

rimum fovetur, dum quidam medici nimis meticuloſi in peſte, febribus malignis, variolis, febre lenta, in febribus intermittentibus, in hæmorrhagiis, in dyſenteria ac diarrhœa, in epilepſia, item in gravidis, puerperis & infantibus vel prorſus ab eorum exhibitione abhorrent, vel plane inutilem eorum adſumtionem judicant, cum tamen dictis in morbis ſalutari cum effectu poſſint & debeant uſurpari, uti ex ſequentibus clarius patebit.

§. LXXXI.

In febribus continuis malignis exanthematicis ſemper eo annitendum eſt, ut alvus maneat aperta. Si enim alvus ægri per octo vel decem dies clauſa relinquitur; magna colluvies vitioſorum humorum ſub iſtis febrilibus commotionibus in primas vias confluit, ſiquidem ipſe ſanguis & reliqui humores reſolvuntur in excrementum ſalſo-bilioſum, quod per hepatis & pancreatis ductus ad inteſtina delatum mora corrumpitur & morbo novum pabulum addit & funeſta ſymptomata inducit, cujus generis ſunt purpura, delirium, inflam-

matio faucium & capitis dolor. Optime vero his in caſibus alvus laxatur clyſtere, remediis mannatis ac tamarindinatis.

§. LXXXII.

Quodſi vero in ſtatu morborum jam commemoratorum laxativa opem eximiam & ſolamen non contemnendum adferunt: id ipſum ſane majori effectu præſtabunt declinante morbo: unde officio ſuo minus ſatagunt ii medici, qui in ſolutione talismodi morborum verentur ſtimulantia exhibere metu, ne vires exhauriantur, cum tamen vix ulla medicina in hujuscemodi morbi declinatione convenientior ſit, quam ope benignioris laxantis alvi ſolutionem ob ſupra dictam rationem tentare.

Scholion.

Ipſo enim in febrilis paroxyſmi diutius jam continuato motu copioſiſſimæ ſordes excrementitiæ bilioſæ, viſcidæ, quæ per alvum omnino evacuandæ forent, in prima regione ſubinde generatæ reſident, ſique hæ ope remedii ſolutivi e corpore rejiciuntur, natura ſane ingenti onere liberatur: ſin autem in corpore retinentur, nec ullum

medica-

medicamentum ad earum expulſionem directum propinatur, facile vel pejor morbi recidiva vel alia mala ſupervenientia morbo expectanda ſunt.

§. LXXXIII.

Simili modo in curatione febrium lentarum nihil convenientius eſt, quam leni laxante humores in primis viis reſidentes evacuare, quo peracto deinceps roborantia & ſtomachica optimo effectu poſſunt ſubjungi.

Scholion.

Cauſa enim hujus febris & ſedes primaria in primis viis quærenda, ubi colluvies corruptorum humorum continetur, quæ inteſtinum illum lentum calorem & virium conſumtionem inducit. Quodſi itaque dicto modo tractatur hæc febris, protinus & acris calor ac conjuncta alia ſymptomata ſeſe remittent & reiterata hac methodo penitus conquieſcent.

§. LXXXIV.

Illorum quoque opinioni minime ſubſcribere poſſum, qui uſum leniorum laxantium in febribus intermittentibus tertianis poſthabent & omnem curan-

di ſpem ac fiduciam in exhibitione chin. chin. ponunt.

Scholion.

Conſtat enim experientia chinam chinæ nullo prægreſſo laxante humores acres & bilioſos e primis viis educente adhibitam non tantummodo febrem tertianam in malignam cum ſummo vitæ periculo commutaſſe, ſed & hydropem, lentam febrem aliosque graviores morbos produxiſſe. Adhuc mihi in memoria hæret recens exemplum Capitanei genere nobilis febre tertiana laborantis, cui a medico quodam absque prævia primarum viarum evacuatione ſtatim china chinæ per aliquot dies oblata typum febris tertianæ in febrem malignam commutavit, ut in maximo vitæ diſcrimine verſaretur.

§. LXXXV.

In hæmorrhagiis peracta venæſectione leniter laxantia uſui ſunt eximio & hoc nomine maxime commendari merentur pilulæ balſamicæ *Excell. Hoffmanni*, quæ non modo ſingularem virtutem poſſident fluxus ſanguinis conſuetos ſuppreſſos excitandi, ſed & nimios quoque compeſcendi ac refrenandi,

di, ſi cum prudentia & methodo requiſita adhibentur.

§. LXXXVI.

In principio diarrhœæ & dyſent. quæ ab humoribus bilioſis & acribus primis in viis ſtabulantibus originem ducunt, egregii quoque effectus ſunt leniora laxantia, præſertim ea, quæ ſimul vim blande conſtringentem poſſident, hac enim ratione non ſolum fomes materiæ morbificæ in tempore tollitur, ſed & fluxus contumacia optime præpeditur.

§. LXXXVII.

Epilepſia infantum frequentiſſime ab impuris humoribus in primis viis nidulantibus originem ducit: hinc ad ejus depulſionem lenioribus laxantibus, nihil melius ac convenientius exiſtimo.

Scholion.

Frequenti praxi expertus teſtari poſſum, motus epilepticos longe tutiori via tolli hac methodo, quam omnibus aliis tantopere laudatis ſpecificis. conf. *Miſc. Nat. Curioſ. Dec. III. A. III. Obſ.* 88.

§. LXXXVIII.

Non mediocre quoque ſolamen adferunt laxantia in gravidis præſertim iis, quæ alvum diutius clauſam experiuntur & quæ naturæ ſunt ſenſibilioris, tenerioris, eamque ob cauſam hyſtericis pathematibus frequenter tentantur.

Scholion.

Varia incommoda gravidis accidere poſſunt, ſi alvo ſtrictiori laborant, facile enim hoc modo humores pravi coacervantur, qui mora acriores redditi ſpasmodicis inſultibus, qui in hoc ſtatu non ſine periculo ſunt, occaſionem & cauſam præbent.

§. LXXXIX.

In puerperio leniter laxantibus nihil melius utiliusque eſt: nam in ipſo puerperio multi impuri humores colliguntur, quibus in corpore relictis non poſſunt non graviſſimi inde morbi progenerari.

Scholion.

Peſſima hodie inter plurimos & ſanitati puerperarum exitialis opinio invaluit, puerperas penitus non eſſe laxandas præſertim pri-

primis diebus. Quam funeſta vero ſit hæc hypotheſis practica, inter alia docet eruptio purpuræ in puerperis, quæ nullam aliam cauſam, quam neglectam impuritatum eductionem agnoſcit. Ad hunc itaque morbum præcavendum, nihil melius, quam tertio vel quarto die a puerperio motu & turbatione omni maſſæ ſanguineæ ceſſante, balſamicas pilulas, uti ſunt Hoffmannianæ, vel noſtræ Vitæ balſamicæ, ſingulis tribus diebus exhibere, qua methodo puerperæ non modo a purpura, ſed & aliis morbis gravibus præſervantur.

§. XC.

In morbis infantum fere omnibus leniſſima laxantia, qualia ſunt ſyrupus de cichorio cum rhabarbaro & manna cum abſorbentibus nempe lapidibus cancrorum, pulvere Marchionis commixta, potiſſimam curæ partem abſolvunt.

CAPUT VI.

De Evacuantibus ex Regno minerali eorumque uſu ac abuſu.

§. I.

DIſcuſſis itaque, quæ de purgantium & laxantium ex vegetabili regno depromptorum qualitate & uſu neceſſario dicenda erant, jam plano pede digredimur ad regnum minerale, ubi pariter intentio eſt disquirendi ea, qua licebit perſpicuitate atque brevitate, quid natura & chymica manus ibidem produxerit, quod uſui medico in evacuandis noxiis e corpore humano humoribus inſervire poſſit.

§. II.

Ex minerali regno evacuatorium effectum exerunt, quæ certa encheireſi ex auro, argento, ferro, ſtanno, plumbo & mercurio ac antimonio parantur medicamenta: neque minus vim egregie humores incidentem & laxativam poſſident ſal commune, nitrum, magneſia alba, ſalia thermarum & acidularum, ut ſal Epſonienſe, ſal Ægranum, thermarum Carolinarum aliarumque,

rumque, arcanum duplicatum, terra foliata tartari, tartarus tartariſatus, tartarus vitriolatus, tartarus nitratus & quæ ſunt hujus generis plura.

§. III.

Aurum propter fixitatem & arctiſſimam particularum inter ſe cohærentiam, quæ eapropter intimam diſſolutionem prorſus renuunt, per ſe & in ſubſtantia datum plane nullam in corpore humano virtutem exerit: Si vero a nexu ſuo aliquatenus ſejungitur, mediante aqua regia & partibus nitri adſociatur non modo curioſum experimentum fulminans, ſed & medicina inde emergit laudatiſſimi ad purgandum uſus.

Scholion.

Notabile eſt, quod quo fortius auri vis fulminans eſt, eo efficacius purgatoriam vim exerat: contra ſi parum vel plane non fulminat, exiguam quoque virtutem in purgando prodit.

§. IV.

Aurum acquirit ſuam virtutem purgantem & fulminantem a partibus nitroſis arctius mediante ſolutione & præcipita-

cipitatione auri particulis connexis, ſiquidem ex mixtura aquæ regis & liquoris alcalini, nitrum poris auri tanquam corporis fixi adhærens, hunc purgandi & fulminandi producit effectum vid. *Clſ. Frid. Hoffm. Diſſert. de purgantibus ſelectioribus.*

§. V.

Quo purius eſt aurum, ex quo aurum fulminans componitur, eo majorem quantitatem pulveris ſolaris nanciſcimur.

Scholion.

Quodſi aurum ducatorum ad hujus medicamenti præparationem impendimus, damnum quoddam ut patiamur neceſſe eſt, quia aurum ducatorum non eſt puriſſimum, quilibet enim ducatus tribus lunæ granis & totidem veneris participat.

§. VI.

Præcipitatio auri optime peragitur oleo tartari per deliquium; vel adhuc melius ſpiritu ſalis ammoniaci.

§. VII.

In compoſitione auri fulminantis maxime notetur, ne edulcoratio aqua ſimpli-

ſimplici frequentius reiteretur, alias vis purgandi magna ex parte perit.

§. VIII.

Uſum, quod concernit auri fulminantis, ſæpius in praxi mea expertus ſum in principio morbi caduci, in alvi contumaci obſtructione, in tumore & duritie abdominis, in colluvie verminoſa educenda, in colica convulſiva ſpaſmodica & pituitoſa effectus laudabiles exerere.

Scholion.

Pulvis hic pretioſus ante octo circiter annos Religioſo Memmingenſi cuidam Ord. S. Spiritus de Roma in Saxia, hypochondriaco, vehementiſſima & ferme continua alvi obſtructione laboranti, quæ omnium aliorum tum purgantium, tum laxantiam effectum eluſit, ad grana quatuor, interdum ad ſex usque, granis aliquot arcani duplicati commixtus optimo ſucceſſu pro una doſi frequenter a me fuit exhibitus. Quadriennium eſt, & quod excurrit, cum Senatorem quendam Imperialis noſtræ obſtructione alvi contumaciſſima una conjuncta colica ſpasmodico-convulſiva laborantem uſu hujus auri medicinalis fruſtra aliis in

uſum vocatis e continenti quaſi ex his moleſtiis eriperemus. Idem quoque auxilium in ſimili affectione expertus eſt ab hoc remedio paſtor quidam Ottoburanus.

§. IX.

Notatu digna obſervatio eſt, quod adſumpto in corpus auro fulminante feces ſecedant nigræ, ſicuti poſt uſum martialium contingere ſolet.

§. X.

Pulvis ſolaris noſtræ compoſitionis, egregium & ſummæ efficaciæ eſt medicamentum, gaudet enim virtute tam corrigente acres & acidos humores, quam etiam laxante & antiſpasmodica inque morbis convulſivis miranda præſtat.

Scholion.

Nos illius uſum in colica convulſiva & ſpaſmodica, in principio epilepſiæ, obſtructionibus pertinaciſſimis, & motibus convulſivis ſæpius exoptati effectus deprehendimus. Sic religioſus quidam Ottoburanus, Ordinis St. Benedicti, aliquot viginti circiter annorum, ſtudiis ardentiſſime operam dans, ante octo circiter annos ob ſpiritus animales, meditationibus profundis diſſi-

diſſipatos, primum catalepſi ſive ecſtaſi medica, in qua omnia membra inſtar trunci immota jacebant cum mentis & ſenſuum externorum quiete, corripiebatur & paulo poſt hœmiplexia & aphonia per triginta horarum ſpatium durante, adfligebatur, qui ſumpta hujus pulveris ſolaris portione ſimulque adminiſtrata venæſectione ſummo Archiatro benedicente præter omnium ſpem reſtitutus fuit. Ita quoque in metu epilepſiæ & inſignibus inteſtinorum torminibus hoc aurum ad granum unum cum ſpecifico cephalico Michaëlis & Balſamo Regio noſtræ compoſitionis remixtum aliquot vicibus exhibitum in Illuſtriſſima quadam tenella Comitiſſa de Muggenthal egregii effectus expertus ſum. Nec minus quoque obſervavi aliquot Religioſos in Monaſterio Ochſenhauſen dicto, colica ſpasmodico-convulſiva decumbentes maximum ex uſu hujus medicinæ ſolamen percepiſſe.

§. XI.

Omnes tincturæ auri, quæ ſub titulo ſplendido medicinæ univerſalis vel auri potabilis maximo pretio venduntur & diſtrahuntur, ſingulari virtute medicamentoſa, ſi dicere volumus, quod

res

res eſt, omnino carent & ſi quid emolumenti in corpore præſtant, id faciunt primas vias irritando & aliquot ſedes movendo, quam operationem a menſtruo corroſivo habent.

§. XII.

Aqua, in qua aurum liquefactum repetita vice extinctum fuit, virtute anthelmintica ex obſervatione *Poterii in ſuis operibus & Kesleri in proceſſibus chymicis* gaudet.

§. XIII.

Circa medicamenta ex auro præparata illud monendum, quod ſecurius in forma pilulari aut liquida, quam in pulvere in uſum ducantur.

Scholion.

Experientia conſtat practica infantibus ad grana aliquot pulverem fulminantem exhibitum præſente lacte corrupto & acido bilioſo in ventriculo & inteſtinorum canali maximum damnum intuliſſe tenellis corporibus. Quodſi vero in forma pulveris præſcribere allubeſcit, ultra granum unum arcano duplicato vel cryſtallo montana commixtum pro una doſi non facile eſt exhibendum infantibus.

§. XIV.

§. XIV.

Ex Argento ſpagyrica arte quoque conficiuntur medicamenta alvum ducentia, quæ irritando & ſtimulando ventriculum & inteſtinorum canalem illorum motum periſtalticum vegetiorem reddunt & abundantiorem effluxum humorum faciunt ſicque inteſtina a ſuperfluis ſeroſitatibus liberant.

§. XV.

Cryſtalli lunæ ob virtutem catharticam & hydragogam inſignem olim maxime celebres fuerunt & pilulæ, ex ipſis compoſitæ ad educendas hydropicorum aquas ceu ſpecificæ frequenti in uſu erant.

§. XVI.

Circa uſum dictarum pilularum maxime notandum, illas frequenter periculoſum & ſæpe funeſtum effectum edidiſſe, nam praxi medica conſtat, illarum adſumtionem repetitam cruentas ſedes cum omnimoda virium proſtratione ſubſequutas fuiſſe.

§. XVII.

Tinctura Lunæ, quæ ob admixtam

venerem cœrulei eſt coloris aliaque medicamenta ex argento confecta magni olim a chymicis æſtimata fuerunt & eximie commendata ſunt in chronicis capitis affectibus, cumprimis vero in epilepſia, vertigine ex viſcidis & abundantibus humoribus ortum ducentibus. Quicquid vero in his morbis efficiunt, id maxime præſtant, ſuccedanea humorum viſcidorum reſolutione & evacuatione.

§. XVIII.

Quod attinet ferrum, limatura illius cum judicio & prudentia medica exhibita obſtructiones viſcerum ac inteſtinorum egregie ſolvit, dum non infrequenter, uti ſæpius obſervavimus, unica doſis quinque vel ſex ſedes concitavit.

§. XIX.

Præcipuum momentum circa prudentem limaturæ martis adhibitionem, ſi effectum aperientem & laxantem inde expectare velimus, in eo conſiſtit, ut diligenti ſubjectorum, quorum curam ſuſcepimus, habita ratione iis tantummodo præbeatur, qui acidum primis in viis ſuperabundans fovent: præ-

ſente

ſente enim acido copioſo effectus exoptatus ſequitur, nam acidum a marte reſorptum convertitur in vitriolum i, quod ſæpenumero alvum ſatis liberaliter maximo cum emolumento dejicit; in defectu vero acidi tonus ventriculi & appetitus proſternitur, & obſtructiones incrementum capiunt vel pertinaciores fiunt.

Scholion.

Haud ita pridem balneator quidam in Imperiali noſtra ægrotanti fœminæ ſiccioris & cholericæ conſtitutionis per octo ſeptimanas limaturam martis in ſubſtantia ſingulis diebus bis ſat larga doſi maximo cum damno ſanitatis exhibuit, dum nempe mars acidum paucum, quod in ventriculo præſens erat, omnimode abſorpſit hacque ratione omnem appetitum ſuſtulit & tumorem ventriculi ac abdominis cum inſigni alvi obſtructione & ſpasmis dolorificis produxit.

§. XX.

Aquæ minerales ſive acidulæ operantur per alvum plerumque mediante vitriolo martiali: nam vitriolum ipſum martis ad drachmam unam exhibitum

modo decenter aqua ſit dilutum, optime operationem per inferiora abſolvit.

§. XXI.

Omnes martis eſſentiæ cum temperatis vegetabilium ſuccis præparatæ v. g. cum ſucco cydoniorum, tamarindorum, pomorum Borſtorffianorum, acetoſæ, acetoſellæ, citri, berberum, ribium largius oblatæ haud infrequenter eximie alvum ſollicitant. Nec minus tinctura martis Solaris obſtructiones tam viſcerum, hepatis, lienis, & glandularum meſenterii, quam inteſtinorum maximo cum emolumento ægrotantium ſolvit.

§. XXII.

Circa uſum martialium candidiſſimo notetur calculo, quod haud conveniant ſubjectis conſtitutionis tenerioris & calidioris vel quorum hepar aut lien aliaque abdominis viſcera ſcirrhoſa & indurata ſunt, nam nihil aliud ejusmodi in corporibus efficiunt, quam ut anxietates, dolores, tormina & ſpasmos excitent, ſymptomata & obſtructiones vehementiores & pertinaciores reddendo.

§. XXIII.

§. XXIII.

Medicamenta e venere parata facultate expultrice quoque gaudere teſtatur tinctura cœrulea ſpiritu urinoſo ex illa elaborata, quam doſi exigua & adæquato vehiculo exhibitam canalem inteſtinorum a ſaburra viſcida acida & bilioſa per ſedes aliquot liberando in motibus convulſivis, epilepticis, e ventriculo originem ducentibus & in morbis e vermibus propullulantibus egregiam medelam attuliſſe medici fidei compertæ mihi retulerunt.

§. XXIV.

In genere hic æque de venereis ac aliis medicamentis metallicis notari velim, quod longe majori fructu in uſum trahantur in corporibus vitioſis humoribus abundantibus, cachecticis & ſegnioris conſtitutionis, ubi inteſtinorum canalis viſcida, pituitoſa, tenaci & verminoſa materia repletus eſt: nam in naturis conſtitutionis cholericæ & bilioſæ & ubi ventriculus multis ſalſis aut bilioſis ſuccis abundat, eundem felicem effectum ab uſu horum medicamentorum vix experiemur.

§. XXV.

Speciatim de pharmacis ex cupro præparatis adhuc monendum, quod illorum uſus moderatus eſſe debeat ob eorum corroſivam & ſepticam indolem, in ſubjectis enim ſenſibilioribus facile movent vomitum, neque minus pulmonibus infeſta ſunt, hinc jure in claſſem remediorum inſecurorum referuntur.

§. XXVI.

Ex jove præparari alvum ſtimulantia plurimis practicorum fere incognitum eſt: nihilominus experientia inconcuſſa optima veritatis medicæ magiſtra confirmatur, ſal ſtanni eximia laxante & vermes necante virtute pollere: Sic experimentum poteſt inſtitui cum vulgari ſtanni ſolutione, quæ ad ſcrupulos duos cum vehiculo aqueo ſumpta largiter ſatis alvum movet.

§. XXVII.

Saturnina communi medicorum ſuffragio moleſtiſſimam alvi conſtrictionem efficiunt & ad tormina & ſpasmodicas affectiones diſponunt, & in hoc quidem ipſorum opinio a veritatis tramite

mite non aberrat: interim tamen negari etiam nequit, quod aqua, in qua plumbum liquefactum repetita vice extinctum fuit, egregia virtute anthelmintica gaudeat.

Scholion.

Carolo IX. Regi Galliæ vehementer à vermibus adflicto plurimis remediis incaſſum adhibitis celebris tunc temporis medicus Harlæus aquam hujusmodi inſigni cum fructu adhibuit, quam deinceps alii medici in pluribus ægrotis, cumprimis vero in infantibus ob verminoſas paſſiones morti proximis, utiliſſimam deprehenderunt.

§. XXVIII.

Rationem vero agendi, quâ metallum hoc colluviem verminoſam e corpore eliminat, hanc eſſe opinor; conſtat enim quævis metalla in ſinu ſuo acorem quendam fovere, qui liquefacto prius aut ſaltem extreme ignito metallo ob poros hac ratione apertos facilius egredi & aquæ immiſceri poteſt, inſuper acor ille in omnibus metallis deliteſcens ipſa ignitione augetur. conf. pluribus *Tachenius* qui in *Hippocrate Chym.* ſufficienti ratione id demonſtravit.

§. XXIX.

Ex mercurio ſublimato venenorum corrodentium principe & mercurio vivo inſtituta decenti trituratione in mortario lapideo per ſublimationem convenientem præparatur medicamentum egregium, quod nomine mercurii dulcis & non modo præſtanti virtute ſalivatoria pollet, ſed & purgantibus congrua doſi admixtum humores lentos, pituitoſos ac putridos incidendo & evacuando eximiam opem confert, unde in morbis, qui ex viſcoſitate lymphæ & glandularum obſtructione fiunt, ſi cum prudentia adplicetur, laudatiſſimum exerit uſum.

Scholion.

Ita in ſcabie humida, colluvie verminoſa, in febrium intermittentium præſertim quartanæ contumacia, gonorrhœa, fluore albo & aliis morbis ab impuriore venere pronatis uſum habet haud contemnendum, ſi purgantium extractis vel pilulis immiſceatur & uſurpetur.

§. XXX.

Corporibus cacochymicis, colluvie humorum acrium bilioſorum in primis viis

viis abundantibus opportune mercurius dulcis non exhibetur, neque utiliter datur in temperamento calido cholerico & ubi corpora ſpiculis ſalinis ſcatent.

Scholion.

In praxi obſervavimus ſubjecta temperamento bilioſo gaudentia a granis ſex mercurii dulcis exhibitis plus purgata fuiſſe, quam alia a granis quindecim; experientia quoque didicimus, ſcabiem ſiccam aliosque morbos ab abundantia ſalium ortum ducentes ab uſu mercurii dulcis potius exaſperari quam mitigari.

§. XXXI.

Rotulas e mercurio dulci cum ſaccharo in aqua roſarum ſoluto compoſitas, in eliminandis lumbricis optimi effectus in praxi deprehendimus. Idem quoque præſtat aqua, in qua mercurius vivus elotus & aliquamdiu decoctus fuit.

§. XXXII.

Lapis bezoardicus mercurio dulci exigua doſi permixtus non ſolummodo ſalivationem præcavet, ſed & illius additione ex recenſione *Excell. Roſini Len-*

tilii Archiatri Sereniſſimi Ducis Würtembergici Fautoris mei maxime honorandi efficacius anthelminticum evadit. vid. *Clariſſimi Auctoris Miſcellanea medico-practica pag. 24.*

§. XXXIII.

Convenientiſſime mercurius dulcis in forma pilularum aut boli exhibetur. Si vero ægroti illum in forma pulveris petant, medicus illis imperat, ut cum vehiculo ſufficienti pulveres adſumant & os poſt adſumtum pulverem aquæ fontanæ gargarismo eluant, alias mercurius facili negotio longiori ibidem mora noxam palato inferre ac ſalivationem & faucium tumorem excitare poteſt.

§. XXXIV.

Si tibi volupe eſt, ſalia abſterſiva fixa, uti e. g. arcanum duplicatum, ſal abſinthii mercurio dulci, qui in febribus intermittentibus præ aliis purgantibus egregii effectus eſt, in forma pulveris admiſcere, cave ne mercurius dulcis intimius fortiterque cum ſalibus teratur, ſed ſaltem levidenſi manu mediante cultro commixtio fiat.

Scholion.

Scholion.

Etenim a ſalium arctiori connubio deleteriam rurſus induit naturam & corroſivus evadit largioremque ſalivationem & alvi fluxum periculoſum facili negotio inducit. Hinc conſultius tutiusque ſalia in mortario non commiſceantur cum mercurio aut omnimode omittantur.

§. XXXV.

Circa Mercurii dulcis præparationem adhuc monendum, quod frequentiori repetita ſublimatione omnem vim laxantem & catharticam penitus amittat. Hinc nonnulli practici ſuperflue & absque fructu commendant mercurium ſeptem vel octo vicibus ſublimatum, utpote privatum omni vi purgante. *Excell. Dn. Deckers Lugduni Batavorum Profeſſor Celeberr.* (ſub cujus manuductione fideliſſima ægrotos in Noſocomiis decumbentes ſolebam viſitare) mercurium dulcem decies ſublimatum vi laxante prorſus orbatum in *Collegio ſuo chymico* demonſtravit.

§. XXXVI.

Ceterum mercurii dulcis uſus moderatus & providus eſſe debet, quia ut alia

alia magnæ operationis medicamenta perverſo uſu facile noxam corporibus præſertim tenerioribus ut infantibus & quæ ſpasmis ac convulſionibus facile patent, adferre poteſt.

Scholion.

Recte monet *Bonteckoë in fundamentis medicis pag.* 64. quod mercurius dulcis non tam dulcis ſit, ut vulgo putent, quia in immodica doſi ſumtus in venenum degeneret.

§. XXXVII.

In numerum remediorum per alvum evacuantium jure refertur etiam ſal commune. Si enim uncia una in dimidia menſura aquæ ſimplicis ſoluta hauriatur, absque ullo incommodo ultra ſex vel ſeptem ſedes excitabit.

Scholion.

Tempore Itineris noſtri, in Angliâ plures fontes non incelebres erant, qui verum ſal commune in ſinu ſuo fovebant & circumſpecte poti ſatis fortiter purgabant & multis ægrotis graviter laborantibus inſigne levamen adferebant. Sic notatu quoque dignum eſt, eſu halecis recentis nec diuturniori in aqua vel aceto a ſalibus liberati

alvum

alvum apertiorem reddi, quam ob rem a quibusdam medicis Amſtelodamenſibus, cum quibus amicitia intimior nobis intercedebat, inſtar medicinæ laxantis ſubjectis ſegnioris alvi commendatas fuiſſe haleces vel ſal commune in aqua diſſolutum novimus. Satis quoque patet effectus ſalis communis purgatorius, ſi clyſteribus additur & ano infunditur: nam in vehementisſima alvi obſtructione reliquis clyſteribus incaſſum adhibitis, clyſter ex ſale communi & aqua paratus efficaciam ſuam laxativam certiſſime prodit.

§. XXXVIII.

Inter omnia ferè laxantia eminet hodierno tempore magnum Italorum polychreſtum, quod ab illis il polvere del Conte di Palma, ab aliis vero Magneſia alba ſive Panacæa ſolutiva vocatur. Hæc medicina inſignis primùm Roma à Dn. D. Cœfferlin olim Reverendiſſ. & Celſiſſ. Principis Campod. Archiatro celeberrimo, Fautore ac Amico meo honoratiſſimo, ad nos advecta & magno cum ægrotorum commodo diſtributa fuit.

Scholion.

Hactenus nullum laxans inventum eſt, quod

quod tam blande in corpore humano operationem ſuam perficit ; quamvis enim Medicus doſi excedat, nullum tamen damnum ægroto inde accidere poteſt, id quod de aliis laxantibus & quidem leniſſimis dici haud poteſt.

§. XXXIX.

Leniſſimum hoc medicamentum, quod nihil aliud eſt, quam terra nitroſa acido ſuo ſale privata, in primis corporis humani viis latens acidum, una cum bile avide abſorbet, inque ſinum ſuum ſalſo-acidos, acres & bilioſos humores recipiendo tuto ac blande laxat. vid. Epiſtola Dn. D. Praunii Reverendiſſ. Principis Campod. Archiatri & Phyſici urbis Imperial. Campod. ord. maximè celebris, Fautoris ac amici mei integerrimi, Valentini Praxi infallibili inſerta, p. 729.

Scholion.

Magneſia cum quovis acido vehementem ſubit efferveſcentiam, eoque ſolvitur, atque in ſolutione ſaporem admodum ſalſum amarum contrahit, qualis non ab ullo alio alcali terreo ſive lapidibus cancrorum vel matre perlarum exoritur; hinc facile

licet

licet colligere, medicamentum hoc tunc demum laxativum effectum præſtare, quando ab acido in ventriculo nidulante ſaturatum & ſolutum, in ſal tertium amarum mutatur, quod etiam frequens corroborat experientia, qua conſtat hypochondriacos utpote acido abundantes, melius quam illos, quorum ventriculus viſcidâ tenaci, & pituitosâ materia oppletus eſt, hac medicinâ purgari.

§. XL.

Caveant itaque ſibi ab uſu tantopere laudatæ medicinæ omnes ii, quorum ventriculus non ſuperabundat acido, quales ſunt phlegmatico temperamento præditi, & qui ventriculo debili, & appetitu proſtrato laborant, quia Magneſia ut alcali nimis abſorbendo acidum ventriculi, quod tamen ad ſolutionem ciborum, in certa proportione neceſſarium eſt, penitus enervat, unde appetitus plus adhuc deſtruitur, & opus digeſtionis vitiatur, maximè ſi frequentius in uſum trahatur.

Scholion.

Non ita pridem à Reverendiſſimo quodam Prælato ventriculo debili & temperamento

mento phlegmatico prædito, mihi fuit relatum, ſe ſuaſu Medici ordinarii, doſes aliquot Magneſiæ ſumſiſſe, ſed uſu hujus medicinæ appetitum antea ſatis adhuc vegetum penitus abolitum fuiſſe.

§. XLI.

Notabile circa Magneſiam albam hoc obſervatur, quod tam diu effectum laxativum exerat, quamdiu noxios bilioſo-acidos humores in corpore invenit, his autem prorſus exturbatis, non amplius laxabit, licet ſæpius exhibeatur.

§. XLII.

Inter medicamenta deobſtruentia & omnia excretoria ad ſecretionem impuritatum leniter ſtimulantia, optimo jure etiam meretur referri nitrum, cujus virtus medica eſt ita inſignis, ut Medicus prudens in medendo minimè ejus uſu carere poſſit. Et facilè auſim aſſerere illud, quod Sylvius de opio dixerit; ſe nolle eſſe Medicum absque opio, forſitan meliore ratione de nitro: me nolle eſſe Medicum ſine nitro. Et revera res ſic ſeſe habet, ut nullus dubitem, omnes ingenuos Practicos aſſenſu ſuo hanc ſententiam meam corroboraturos eſſe.

Scholion.

Scholion.

Nam ſal hoc neutrum naturæ noſtræ ita amicum & conveniens eſt, ut non facilè ullum incommodum in corpus noſtrum ex uſu illius moderato redundet, ſed potius ad graviſſimos morbos amoliendos, qui ab abundantia bilis, ſanguinis & humorum orgaſmo eorumque acrimonia ortum ducunt, nullum hactenus inventum ſit excellentius & præſentius remedium; ita ut *ille Anglorum celeberrimus Cancellarius Baconus Baro de Verulamio in hiſtoria vitæ & mortis* huic ſali vitam prolongandi, ſi ſæpius ad ſcrupulum pro doſi offeratur, haud dubitaverit adſcribere, & certè ſi ullum genus remedii, titulum medicinæ univerſalis dignè meretur, & nitro purificato & communi aquæ, bonæ notæ, eum attribui poſſe, non absque ratione cum *Celeberr. Frid. Hoffmanno*, ſtatuo. Nam ſi alvus ad officium ſuum reddendum, ſtimulanda, ſi urina ſolvenda, ſi corpus noſtrum ſpasmo & dolore eſt affectum, ac nimiò æſtu calet, tranſpiratioque liberior eſt efficienda, certe nihil datur præſentius in rerum natura, nitro. Si acrem & virulentam humorum bilioſorum indolem, quæ diarrhœæ, dyſenteriæ,

teriæ, febrium bilioſarum, ardentium etiam & periculoſiſſimæ ventriculi & inteſtinorum inflammationis productrix eſt, corrigere ac enervare intendimus, certe id quam optimè per nitrum peragi poſſe experientia frequens teſtatur. Nam inter certa & ſecura refrigerantia, febrilem & inflammatorium æſtum temperantia, in natura nitro haud par invenire licet. Nitro porro maxima vis ineſt coagulatum ſanguinem & humores craſſos reſolvendi, nam nitrum puriſſimum in aquâ ſolutum, ſanguini coagulato è vena jam egreſſo, immiſſum, eum & fluidiorem & coloratiorem reddit, dum obſcure nigricantem in purpureum & miniatum rurſus colorem immutat.

§. XLIII.

Præter jam laudatas eximias virtutes, vias obſtructas in renibus aperit, nitrum, concretiones ſalinas tartareas, quæ generationem calculi cauſantur, & removendo & impediendo.

§. XLIV.

Illis, qui laborant ſic dicto malo hypochondriaco à ſpaſtica & flatulenta ſanguinis in vaſis ventriculi & inteſtinorum ſtagnatione, originem ducente, nullum

majus

majus ſolamen contingit, quam ex decenti nitri uſu, nam nitrum ſanguinem ſtagnantem reſolvit, ſpasmorum & dolorum atrociam quam optime lenit & demulcet. *Illuſtris Frid. Hoffmannus in diſſertatione de ſalium mediorum excellente & purgante virtute*, hanc ſententiam confirmat. Ego verò ingenuè fateor, inquit jam ſæpius laudatus Autor, in tanta remediorum ſylva nullum nitro par reperio, quod tam potenter ſpasmos ſolvat, flatus diſcutiat, dolorumque ſævitiam mitiget. Hinc ejus uſus in Colica ſpasmodica ſeu convulſiva non ſatis digne prædicari poteſt. Si ab atroci dolore & ſpasmo transſpiratio, vel ſudor, vel urinæ fluxus præcluditur, ſi alvus dura & ſtricta manet, ſanguinisque ſalutares illæ & conſuetæ per hæmorrhoides, per uterum, etiam in puerperis, excretiones deficiunt, nitrum decenter exhibitum ſpasmos & dolores ſedat, & hac ratione liberiori facto per tubulos itinere, ſaluberrimos hos fluxus reſtituit. Quum vero ex iisdem vaſorum & viſcerum ſpaſticis ſtricturis validioribus,

 liberio-

liberiori ſanguinis curſu impedito, tanto major humorum motus & impetus ad alias easque remotas partes ſubinde contingat, hinc vaſa à nimia congeſtione diſtenta referantur, & immodicæ ſanguinis fiunt profuſiones, unde hæmoptyſis, nimius narium, menſium vel hæmorrhoidum fluxus, aut mictio cruenta ſuam ducunt originem. Si tale quid incidit, ſummum in nitroſis medicamentis eſt auxilium, quæ ſpasmos removendo, non adſtringendo, dum liberiorem curſum ſanguini reſtituunt, profluvia illa immoderata & enormia ſiſtunt. Hactenus Hoffmannus.

§. XLV.

In numerum ſalium mediorum, quæ naturæ noſtræ congrua & valde ſalubria ſunt, haud immerito etiam referri valet ſaccharum, quod convenienti & non exceſſiva doſi ſumtum, non ita ſanitatem lædit, ut à quibusdam Medicis neotericis culpatur, licet non in omnis generis morbis vel quovis tempore omnibus individuis conveniens ſit.

Scholion.

Scholion.

Quando quidem ſaccharum eſt ſal dulce, amœnum & blandum, mixturæ ſanguinis & humorum plane haud hoſtile, nam acidos bilioſos humores temperat, & emolliendo primas vias, leniterque contextum fibrillarum inteſtinalium vellicando, alvum fluidiorem & agiliorem reddit.

§. XLVI.

In claſſem laxantium ſummo quoque jure referuntur ſalia omnia thermarum & acidularum, ut ſal Egranum, ſal Carolinarum, Schwalbacenſium & aliarum thermarum. Quantos hæc ſalia effectus vi ſua aperiente, ſanguinis depuratoriâ & laxante, in morbis chronicis exſtirpandis præſtent, in vulgus notiſſimum eſt.

§. XLVII.

Non tantum autem Germania noſtra, ſed & aliæ Europæ regiones, ut Gallia, inprimis verò Anglia, fontes medicatos frigidos alunt, qui ſal virtute aperiente & laxante præditum, largiuntur. Inter

ter quos in Anglia maxime famam acquiſiverunt Ebshamenſes, qui ob ſalſum amarum, quo gaudent, primas vias abſque omni violentia ab omnibus impuritatibus liberant. Hoc ſal verum & non adulteratum, haud ita pridem Excell. Dn. Frid. Hoffmannus ex Anglia obtinuit, ac inſimul illi relatum fuit, libram medicam unam vix drachmam ejus dimidiam ſuppeditare, inſtituitque laudatus Autor cum eo experimentum, miſcendo & fundendo illum cum pulvere carbonum & maſſam inde ſulphuream nactus eſt, purpuream, hepati ſulphuris exquiſitè ſimilem. De hoc genuino ſale *Nehemias Grew* peculiarem edidit tractatum, in quo laudes atque encomia hujus ſalis refert. Hoc ſal, inquit celeberrimi nominis Medicus ille Anglus, nunquam ſua virtute cathartica deſtituitur; in morbis permultis gravioribus efficaciſſimum remedium præbere dicitur, nec unquam aliquid mali, ſi appoſitè præſcribatur, procreat. Purgantium ferè omnium leniſſimum exiſtit, humores non exagitat, & nunquam ægritudines, deli-

quia,

quia, & tormina excitat. Laudatur hujus ſalis uſus in morbis ventriculi, cardialgia, immodicis vomitionibus, & calida affectione hypochondriaca. Commendatur etiam in inteſtinorum & imi ventris morbis, in colico & nephritico dolore, vermibus, urinæ ardore & ſuppreſſione, ictero, in paſſione hyſterica. Præterea capitis affectibus egregie opitulatur, atque in cephalalgiis, vertigine, deliriis, oculorum inflammationibus cum ſummo fructu porrigitur. Propinatur in aqua fontana ſtillatitia, aliaque puriſſima, decocto hordei, avenæ, aut lactis ſero: aqua etiam parum coqui, & mace condiri poteſt, hujus libræ duæ vel tres ſalis catharctici ſemiunciam vel integram unciam pro doſi recipiunt.

§. XLVIII.

Hodierno nunc tempore ſal quoddam purgans mediæ etiam naturæ, vili admodum pretio pro ſale Epshomenſi jam venditatur, & ad plures centenarios ex Anglia quotannis in Germaniam apportatur. Verùm id non eſ-

ſe genuinum, ſed potius adulteratum, exigua quantitas ſalis in his acidulis contenta, & vile pretium, quo commune conſtat, ſatis ſuperque demonſtrant. Eſt vero hoc ſal potius artis chymicæ productum, & ſali Glauberiano haud diſſimile, ſiquidem ex capite mortuo vitrioli, ſive vitriolo bene calcinato & lixivio, in ſalis coctura reſiduo, quod vocant Saltz-Mutter-Lauge, nonnulli artis ſpagiricæ periti in Anglia parare aſſolent; ſicuti Excellentiſſ. Dn. Lentilius in Miſcellan. natur. curioſ. Cent. 3. & 4. Obſ. 173. id clare & aperte explicat.

§. XLIX.

Sal hoc quamvis non easdem poſſideat qualitates præſtantes ac genuinum, attamen virtute tam aperiente quàm laxante non contemnenda quoque gaudet.

§. L.

Salia ſic dicta media vel neutra, uti arcanum duplicatum, terra foliata Tartari, tartarus tartariſatus, tartarus vitriolatus tar-

tartarus nitratus, ſal aperitivum Clariſſ. Frid. Hoffmanni, ſal meum aperitivum viſcerale, & aliorum Medicorum convenienti doſi & vehiculo ſufficienti propinata, urinam & alvum blandiſſime ſtimulant, & impuritates primarum viarum diſſolvunt ac educunt, unde itidem in morbis chronicis ex obſtructionibus viſcerum & glandularum naſcentibus maximo cum effectu præſcribuntur.

§. LI.

Salia ejusmodi optima methodo purgantibus præmittuntur, & tunc digeſtiva vocantur, quia ante illorum uſum aſſumpta, humores viſcidos & tenaces, purgantibus obicem ponentes, reſolvendo, ſubtiliſando, incidendo ac vellicando inteſtinorum canalem, alvum optimè diſponunt ad purgandum. Quod ſi cum ipſis purgantibus maritantur hæc ſalia, illorum efficaciam mirum in modum intendunt, & inſimul tormina inteſtinorum, quia corrigunt purgantium nocivam qualitatem, optime avertunt. Hæc tamen cautela probe attendi debet, ut purgantia in refractiori doſi cum

ſi cum ſalibus hiſce miſceantur. Sæpenumero mihi contigit obſervare, quod unicum ſolummodo granum magiſterii gialappæ cum ſcrupulo ſemis tartari vitriolati permixtum, plus præſtiterit, quam ſi ad grana quinque vel ſex magiſterium ſibi relictum fuiſſet aſſumptum.

§. LII.

Cavendum verò maxime eſt à ſalium horum uſu largiori, in morbis ſalinis, ſcorbuticis, bilioſis, ut in ſcabie, arthritide, podagra, ulceribus, diarrhœa, tuſſi, catarrhis, & in omni ſeri ſalſi vitio, quia hæc mala potius incrementum, quam decrementum ab iis aſſumptis capiunt.

Soli DEO Gloria
ſempiterna.

Errata.

Pag. 2. Præfationis lin. 2. leg. poterit. p. 4. lin. 3. l. cognoſci. p. 2. Tractationis lin. 4. l. pro vi in. p. 13. lin. 2. l. nec convenienti & exceſſivâ doſi. p. 14. lin. 3. l. aſſumtis. ibid. lin. 14. l. experimentum. p. 30. lin. 8. l. ſi movendum. p. 49. lin. 14. l. deperdere. p. 57. lin. 15. l. diureſin. p. 75. lin. 4. l. hydrope eo, qui natus eſt. p. 84. lin. 14. l. ex. p. 88. lin. 1. l. effectu. p. 119. lin. 18. l. admixta & propinata. p. 134. lin. 2. l. optimæ. p. 157. lin. 16. l. laxantium. p. 163. lin. 3. l. id, quod. p. 168. lin. 7. adde, venit. p. 170. lin. 9. l. imperet. p. 172. lin. 24. l. diuturniori maceratione. p. 182. lin. 3. l. Sal ſalſum.

NB. Reliquos errores levidenſes, qui, me abſente, irrepſerunt, Benevolus Lector ipſe facilè corriget.

Osservazione di piantar semi de
Limoni acciò nascano in pianticelle

Si devono avere di semi de Limoni grossi
dell'hetto maturi et operare che alcuni
d'essi avevano un po' di germoglio, questi solo
si scieghino, et si piantino in vasi in luna
nuova crescente et così presto avrai delle
pianticelle di cedro.

Rimedio sperimentato comunicatomi da un Amico degno di fede per havere buon raccolto, et netto raccolto dall'inmondezze di marzolo, di loglio, giotone, et altre di grano ò sia di Formento

Si piglia Calcina viva fatta in polvere sottilissima una libra per sacho il primo anno di quel Formento che hai tenuto à parte per seminare cosi tante libre quanti sachi sono si mischia sotosopra il d.o Formento et Calcina et cosi si repeta per moltissimi giorni affine che tutte le grane prendino della d.a Calcina et poi al suo tempo si semina et se ne racoglierà un formento bellissimo, netto dall'inmondeze sud.e L'anno poi appresso se gli unisce solo 29: per sacho di d.a semente, et poi gl'anni sucessivi solo 26: per sacho, et ogn'anno se gli fà cotesta servitù della calcina et cosi farai buon racolto di Formento abondante, bello, netto, e polito